





Patauij apud Pet. Paulum Tozzium. M.DCXI

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſs. D.D.

IO. BAPTISTÆ Card. Lenio, TIT. S. SIXTI, EPISCOPO FERRARIENSI,

Petrus Paulus Tozzius Bibliopola Patauinus, S. & Fel.



Ndreas Alciatus inter politos Iuriſconſultos princeps, ac primus; poſt fugatam debellatamq; barbariem, quæ iura omnia obſederat; reliquit nobis elegantiſſima Emblemata, quę ipſe videtur finxiſſe horis ſubſicinis, vt animum remitteret ſtudijs grauioribus fatigatum. Et quidem venuſtiſſimus eius conatus adeo permouit transalpinorum & noſtrorum plerorumq: ingenia, vt clariſsimi viri,

& litterarum gloria pernobiles, eidem argumento calamum & animum applicuerint, eo tamen successu, ut secundi longe omnino a primo sint. Hoc opus cusum & recusum sępius a nobilissimis Typographorum, induxi ego in animum ut ederem minore forma, eaque commodiore, adiectis explicationibus. CLAVDII MINOIS, qui multum in hoc genere profecit, & LAVRENTII PIGNORII notulis, quem audio non lusisse operam, sed illustrasse non pauca, quæ MINOEM, non omnino peritum rerum Italicarum, non raro fefellerant. Hęc omnia ut inscriberē multo amplissimo nomini Tuo IO. BAPTISTÆ CARD. peruicerunt humanitas Tua primū, cuius apud me recens & quidem non unicum, extat testimonium; deinde amor

& patrocinium in bonas litteras singulare; postremo vis viuida ingenij amplissimam istam dignitatem exæquans, quæ Te omnia in eo fastigio Honoris collocarunt, vt nemo ferme sit, qui non cupiat deuouere se Tibi, & Patronum adoptare. Inter hos eximius fuit INNOCENTIVS SPINIVS Abbas, eius probitatis & eruditionis vir, quam Tu optime nosti, quique adeo multa consueuit mihi prædicare de Te & præclarissimis virtutibus tuis, vt volentem pellexerit, dempseritque timorem (si vllus erat) Amplitudinem Tuam minusculo hoc munere interpellandi. Hanc Tu deuoti animi contestationem CARD. amplissime æqui bonique consule, meque in posterum inter Tuos clientes recensere

VITA
ANDREÆ ALCIATI
MEDIOLANENSIS
IVRISC. CLARISS.

Per Claud. Minoem conſcripta.


NDREAS ALCIATVS in pago Alciato ſeu Alzato Mediolanenſi natus, è nobili Alciatorum genere, ſuæ ætatis Iuriſconſultorum & politorum hominum gloriam incredibili ſtudio ac virtute longo poſt ſe reliquit interuallo. Is adoleſcens, cùm primum ingenij cultum caperet, laudatos & eruditos inſtitutores nactus eſt, ſed in primis Ianum Parrhaſium, qui litteras humanitatis ſumma nominis fama docuit. Eas diſciplinas cùm Alciatus auidè arriperet, ſeq; ijs non leuiter tingeret, earum tamen vſum omnem ad peritiam iuris, cui ſeſe totum addicebat, optimè referendum eſſe duxit, vt eæ primæ artes, in quibus alij, tanquam apud Sirenum ſcopulos conſeneſcunt, vni huic ancillarentur. Ille itaque, quòd ſeriò id ſtudij capeſſeret, breui admodum ſpatio temporis in eo profecit, vt dignus exiſtimaretur, qui Doctoris inſignibus honeſtaretur: quem honorem ſuorum omnium gratia & approbatione facilè eſt aſſecutus. Cui cùm pro dignitate reſponderet, quanquam nondum adoleſcentiæ

ſcentiæ tempus exceſſiſſet, ſic ab omnibus ſuſpiciebatur, tantamque de ſe admirationem concitabat, vt de rebus etiam grauiſſimis, & quæ non niſi veteranis, & longo vſu exercitatis viris proponi ſolitæ eſſent, argutè politeque reſponderet. Ergo Mediolani per triennium moratus, ſeſe foro parabat, munusque aduocationis magna certè laude, ſummaque fide & religione ſuſtinebat, cùm cępit eius nomen apud exteras nationes, nedum ſuos Italos, innoteſcere. Accitus enim ad publicum profeſſionis munus ab Auenionenſibus, ſtipendium ſexcentorum meruit, cùm nunquam ad eum diem cathedram, vt ipſe ait, conſcendiſſet: qua in vrbe per aliquot annos ita ingenium ſuum & induſtriam mirificè probauit, vt vnus penè inter laudatos iuris interpretes, ſolusque egregiè doctus commendaretur. Qua hominis fama excitatus Franciſcus primus, Galliarum rex, ingeniorum ſollers æſtimator, idemque fautor liberaliſſimus, Alciatum ad Biturigum Academiam vocauit, honorario illi duplicato, adeò vt pro ſexcentis, ſecundo quàm eò venerat anno, mille & ducentos conſequeretur. In ea vrbe Galliæ celebri quantum ille per quinquennium præſtiterit, ſuperſunt etiam hodie teſtes per multi, laudati & excellentes viri, qui Alciatum docentem illic audiuerunt: teſtes etiam libri editi æterna digni memoria, quos ille ſucciſiuis horis ſummo ſtudio, parique ingenio reliquit.

liquit. Quæ laus hominis cum in dies incrementum caperet, Franciscus Sfortia, Mediolanẽsium Dux, sui popularis amore ac gloria captus, eum moras nectentem, peneq; tergiuersantem reuocauit, vtq; omnem excusationis remoram interciperet, Senatoria dignitate ornauit, & vt Ticini docendi partes sustineret, ab eo impetrauit. Paullò post certis de causis Bononiam studiorum omnium altricem petijt, in qua totos quatuor annos ea omnium admiratione ius ciuile docuit, vt nullus satis doctus è scholis redire putaretur, nisi qui Alciatum audiuisset.

Ticinum postea reuocatus, ita iubente Carolo Imperatore, per annos aliquot illic resedit, nihil de inceptis laboribus remisit, gloriam, quam tot vigilijs comparauerat, auxit: vt putaret sibi exemplar propositum Herculis illius Tragici, cui finis laboris vnius, ad sequentem gradus pararetur. Ferrariam deinde inuisit Ducis Herculis amplissimis conditionibus adductus, & prostratam Academiam extulit. In qua quidem vrbe nobilibus & doctis hominibus, vt semper, affluenti, vt in alijs quas incoluerat, non modò viua voce profitendo, sed & permulta variaque scribendo, id effecit, ne viuis & præsentibus modò consuluiße videretur, sed & posteris idem multò cumulatiùs præstaret.

Post multos tandem peregrinationum labores, Ticinum repetit, in eaque vrbe suarum fortunarum tabulas postremò collocauit: docuit tres, quatuorve

ad

ad ſummum annos, vir qui nullis ætatis difficultatibus; neque quietis alicuius, quam capere poterat, blanditijs delinitus à cępto opere & ſtudio ceßauit. De qua tamen tam frequenti concurſatione, quam pleriſq; ſuſpectam præſenſerat, ſeipſum purgauit, vt peregrinationum non temerè ſuſceptarum rationem probabilem redderet. Dum enim bellicos tumultus ſubterfugeret, tutamque ſuis ſtudijs quietem perquireret, diutiſſimè peregrinatus, Principum iuſſionibus huc atque illuc agitatus, certam ſedem tenere non potuit. Nos verò nihil moramur tam crebram locorum mutationem: præſtantiam hominis potiùs, & ingenij ſollertiam debemus æſtimare. Ille diſciplinarum liberalium, hiſtoriæ omnis, Græcæ & Romanæ lingue ſubſidijs fretus, iuris artem nitori priſtino feliciter reſtituit, æmulatus veteres quoſdam magni nominis Iuriſconſultos, Herennium Modeſtinum, Antiſtium Labeonem, Atteium Capitonem, aliosque, qui pares fuere in vtriuſque linguæ cognitione, artiumq; meliorum facultate. Poſt annum duodecimum, cùm ciuilis & Pontificij iuris profeſſorijs inſignibus ornatus eſſet, Paradoxa & Diſpunctiones in publicum emiſit, opus elaboratum horis ſucciſiuis à candidato adhuc & tirone: Quoties enim ea, quæ à ſuis Doctoribus accepta, ſecum perpenderet, ſi quæ probabilibus argumentis digna refutatione viderentur, ne confeſtim memoria exciderent, quibuſdam quaſi aduerſarijs ſcribere

con-

liquit. Quæ laus hominis cum in dies incrementu caperet, Franciscus Sfortia, Mediolanẽsium Du: sui popularis amore ac gloria captus, eum mor: nectentem, peneq; tergiuersantem reuocauit, vt omnem excusationis remoram interciperet, Senat ria dignitate ornauit, & vt Ticini docendi part sustineret, ab eo impetrauit. Paullò post certis causis Bononiam studiorum omnium altricem p tijt, in qua totos quatuor annos ea omnium admir tione ius ciuile docuit, vt nullus satis doctus è sch lis redire putaretur, nisi qui Alciatum audiuisse

Ticinum postea reuocatus, ita iubente Car Imperatore, per annos aliquot illic resedit, nihil inceptis laboribus remisit, gloriam, quam tot vig lijs comparauerat, auxit: vt putaret sibi exemp propositum Herculis illius Tragici, cui finis labo vnius, ad sequentem gradus pararetur. Ferrari deinde inuisit Ducis Herculis amplissimis condi nibus adductus, & prostratam Academiam ext lit. In qua quidem vrbe nobilibus & doctis hon nibus, vt semper, affluenti, vt in alijs quas incol rat, non modò viua voce profitendo, sed & perm ta variaque scribendo, id effecit, ne viuis & pr tibus modò consuluisse videretur, sed & poste idem multò cumulatiùs præstaret.

Post multos tandem peregrinationum labore Ticinum repetit, in eaque vrbe suarum fortunar tabulas postremò collocauit: docuit tres, quatuor

ad

ad summum annos, vir qui nullis ætatis difficultatibus; neque quietis alicuius, quam capere poterat, blanditijs delinitus à cępto opere & studio cessauit. De qua tamen tam frequenti concursatione, quam plerisq; suspectam præsenserat, seipsum purgauit, vt peregrinationum non temerè susceptarum rationem probabilem redderet. Dum enim bellicos tumultus subterfugeret, tutamque suis studijs quietem perquireret, diutissimè peregrinatus, Principum iussionibus huc atque illuc agitatus, certam sedem tenere non potuit. Nos verò nihil moramur tam crebram locorum mutationem: præstantiam hominis potiùs, & ingenij sollertiam debemus æstimare. Ille disciplinarum liberalium, historiæ omnis, Græcæ & Romanæ linguę subsidijs fretus, iuris artem nitori pristino feliciter restituit, æmulatus veteres quosdam magni nominis Iurisconsultos, Herennium Modestinum, Antistium Labeonem, Atteium Capitonem, aliosque, qui pares fuere in vtriusque linguæ cognitione, artiumq; meliorum facultate. Post annum duodecimum, cùm ciuilis & Pontificij iuris professorijs insignibus ornatus esset, Paradoxa & Dispunctiones in publicum emisit, opus elaboratum horis succisiuis à candidato adhuc & tirone: Quoties enim ea, quæ à suis Doctoribus accepta, secum perpenderet, si quæ probabilibus argumentis digna refutatione viderentur, ne confestim memoria exciderent, quibusdam quasi aduersarijs scribere

com-

consueuerat; quæ cùm paullò accuratiùs expolijsset, in codicem verasque tabulas referebat. Quem certè laborem suscepit, vt aliqua ratione Doctorum qui tum studia iuris profiterentur, iudicium conuelleret, qui bonarum litterarum cognitionem blanda & illici voluptate studio iuris aduersantem dicerent. Ex quo satis sibi factum eo tempore arbitrabatur, si suum litteris humanioribus honorem seruasset, easque iungi sua ætate sapientiæ studijs posse docuisset: quæ omnis spes exspectatioque eum à principio destituit, vt qui à iuris doctoribus, non aliter quàm transfuga incesseretur & ab alijs qni litteras humaniores profitebantur, vt alienus exploderetur, paullatim tamen eius libri sese insinuarunt, omnibusque in prouinciarum Italiæ, Galliæ Germaniæq; Academijs locum suum pedetentim obtinuerunt. Nec verò ipse quoties occasio fert, dissimulat, se reiecta seculorum aliquot ante lapsorum consuetudine, quam iuuenis erat amplexatus, ad imitationem & præscriptum veterum, iuris tradendi rationem studio omni & industria reuocasse. Videbat enim esse multos, quod ferebat ægerrimè, qui barbaras, & impolitas quasdam interpretationes elegantioribus præferrent, & tritico neglecto, cum atauis vesci mallent glandibus.

Ne vero quis putet eum vnius αὐθαδίας aut etiam φιλαυτίας captum studio, quędam innouasse aut etiam docuisse secus, quàm qui superiore seculo floruе-

orueruntur. Si quibus in locis erraſſe veteres Docto-es animaduerteret, eorum nominibus parcebat, eque canoris, quod dicitur, nugis ideò ſe acutio-em oſtentabat, ſed tanquam aliud agens oſtende-at quatenus eis ſtandum eſſet. Quod prudentiæ, uit opus ſanè memorabile ab eodem perfectum, edum tentatum, quo ſuum Iuriſprudentiæ lumen eddidit. De elegantia verò & polito genere dicen-i, quod in iuriſconſulto non ferebant moroſi qui-am veterani, vt qui à ſuis magiſtris perſuaſi er-orem vſu confirmatum mordicùs tenebant, ille uædam diſputauit, reque ipſa hoc prȩſtitit, vt vin-lam barbariem à Philoſophiȩ iuris latifundijs blegaret.

Sua quȩdam correxit ætate maturior, quȩ ſibi doleſcenti fatetur excidiſſe: quo nomine à quibuſ-am reprehenſus ſeipſum honeſta oratione purga-it. id enim ſe feciſſe conſultò, & maximis exemplis nuit, quia famæ ſuæ damno nollet in publica ſtu-iorum cauſa præuaricari. Idem factum ab Hip-ocrate, medica arte clariſſimo, qui, ne poſteri er-arent, quædam malè à ſe tradita, primus corre-iſſet. M. verò Tullius cùm Rhetorici libri, quos uenis ediderat, non ſatis placerent, de Oratore d M. Brutum ſcripſit, & à ſe iam edita pleraque amnauit. Sic & Fabius Quinctilianus, cum prius uos de arte Rhetorica libros er ſſet, ijque non atis probarentur, duodecim il! compoſuit, qui-

bus

consueuerat; quæ cùm paullò accuratiùs expolijßet in codicem verasque tabulas referebat. Quem ce tè laborem suscepit, vt aliqua ratione Doctorum qui tum studia iuris profiterentur, iudicium co uelleret, qui bonarum litterarum cognitionem bla da & illici voluptate studio iuris aduersantem c cerent. Ex quo satis sibi factum eo tempore arbit batur, si suum litteris humanioribus honorem s uasset, easque iungi sua ætate sapientiæ studijs p se docuisset: quæ omnis spes exspectatioque eum principio destituit, vt qui à iuris doctoribus, non a ter quàm transfuga inceßeretur & ab alijs qui teras humaniores profitebantur, vt alienus exp deretur, paullatim tamen eius libri sese insin runt, omnibusque in prouinciarum Italiæ, Galli Germaniæq; Academijs locum suum pedetentim tinuerunt. Nec verò ipse quoties occasio fert, di mulat, se reiecta seculorum aliquot ante lapsor consuetudine, quam iuuenis erat amplexatus imitationem & præscriptum veterum, iuris tra di rationem studio omni & industria reuocasse. debat enim eße multos, quod ferebat ægerrimè, barbaras, & impolitas quasdam interpretati elegantioribus præferrent, & tritico neglecto, atauis vesci mallent glandibus.

Ne vero quis putet eum vnius αὐθαδίας *etiam* φιλαυτίας *captum studio, quędam inno aut etiam docuisse secus, quàm qui superiore se*

floru

floruerunt. Si quibus in locis erraße veteres Doctores animaduerteret, eorum nominibus parcebat, neque canoris, quod dicitur, nugis ideò se acutiorem ostentabat, sed tanquam aliud agens ostendebat quatenus eis standum esset. Quod prudentiæ, fuit opus sanè memorabile ab eodem perfectum, nedum tentatum, quo suum Iurisprudentiæ lumen reddidit. De elegantia verò & polito genere dicendi, quod in iurisconsulto non ferebant morosi quidam veterani, vt qui à suis magistris persuasi errorem vsu confirmatum mordicùs tenebant, ille quædam disputauit, reque ipsa hoc prꝫstitit, vt vinctam barbariem à Philosophię iuris latifundijs ablegaret.

Sua quędam correxit ætate maturior, quę sibi adolescenti fatetur excidiße: quo nomine à quibusdam reprehensus seipsum honesta oratione purgauit. id enim se fecisse consultò, & maximis exemplis innuit, quia famæ suæ damno nollet in publica studiorum causa præuaricari. Idem factum ab Hippocrate, medica arte clarissimo, qui, ne posteri errarent, quædam malè à se tradita, primus correxisset. M. verò Tullius cùm Rhetorici libri, quos iuuenis ediderat, non satis placerent, de Oratore ad M. Brutum scripsit, & à se iam edita pleraque damnauit. Sic & Fabius Quinctilianus, cum prius duos de arte Rhetorica libros er[illegible]sset, ijque non satis probarentur, duodecim il[illegible] composuit, qui-

bus

bus & priores emendauit, & magnam inde fa mam est consecutus. Meritò igitur quod alijs lauda datum est, fraudi non debuit esse Alciato. Hac ce lebritate famæ notus, vt à viris solidè doctis cul tus est, quos & vicissim coluit impensissimè: impri misque, vt Italos pretermittam, Iac. Minutium Ioan. Seluam, Petrum à Stella, iuris vtriusque in terpretem, aliosque non paucos: sic à quibusdam maleuolis proscissus & exagitatus Longouallium infestum habuit, hominem interdum sine mente a certè sine iure tumultuantem, Alciato detrahen tem, alios etiam in id contentionis genus pertra bentem. Fuit illi æmulus, & quidem σύνδρομος i Italicis Academijs Doctor quidam iuris, A L E X A N D R I N V S nomine, à quo non semel pr uocatus, nihil respondit. indignè tamen aliquand tulit, eum quasi sibi oppositum, atque aliquando suc ceßorem insultare, quod ostendit hoc carmen in eu dem ab Alciato scriptum.

Altiuolam Miluus comitatur degener Harpa
Et prædæ partem sæpè cadentis habet.
Mullum persequitur qui spretas Sargus ab ill
Præteritasque auidus deuorat ore dapes.
Sic mecum Oenocrates agit: ac deserta stu dentum
Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

Ita læsus sibi temperabat: sed tamen ne foro cede re videretur, iniuriam acceptam non alia ratio

vlci-

vlciſcebatur. Quem iracundi animi affectum celare non potuit, excitatus intolerabili & indigna Franciſci Floridi maledicentia, qui Zazium, Budæum, ipſumq; Alciatum, viros incomparabiles fuerat auſus contumelioſè laceſſere. poſtquam enim eius inſanam diu petulantiam pertulißet, ille, qui ſtili acumine hominem confodere poterat, ſcripſit in eum carmen ſatyricum, nomine paullulum mutato, verſoque in Ranciſcum Olidum, his omnino verbis:

Audent flagriferi matulę, ſtupidique magiſtri
Bilem in nos olidi pectoris euomere.
Reddemusne vicem opprobrijs? ſed nonne cicadam
Ala vna obſtreperam corripere iſtud erit?
Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flagris?
Negligere eſt ſatius, quod nequeas regere.

Sed & aliquot annis antè, præſtans illa viri virtus comitem habuit ſuam inuidiam, quæ ſucceſſibus eius proſperis ſuccenſeret. nam relictis Biturigibus Italiam repetens, cùm vrbem in ſe beneficam & liberalem hoc tetraſticho, grati animi teſte donaßet.

Vrbs Biturix inuitus amans te deſero amantem,
Quinque per æſtates terra habitata mihi.
Nunc opus ad Vitulos eſt à Veruecibus ire
Ergo vale, & felix ſit tibi lanicium.

Qui-

Quidam maledicus nugator, Alciati nomin infensus, ita respondit, scurrilius ne an contumelio sius, nescio;

Non nos, sed nostros nummos Alzatus amabat,
Qui tacitus spretis vanuit hospitibus.
Sed valeat tandem Vitulos pasturus: At illum
Nostra vel horrentem frigore lana teget.

Qua tamen nugacitate minimè ab incępto cursu deterritus Alciatus infractum animum gessit, perinde atque Hecate, quæ canum latratus nihi moretur. Sed neque ipse caruit suorum reprehensione: vt enim alia multa transiliam, Italus quidam Doctor Tholosæ professurus, subinde iactitabat aliter à se legum nodos intelligi quàm ab Alciato, qui nihil aliud apud nos, *inquibat*, facit, quàm quod floretat iura. *cui spectaculo cum præsente adessent viri docti, seu hominis arrogantiam perosi seu risus captandi causa, ita censuerunt.* Quæ Alciatus floretat, iste oletat. *Et hæc quidem fuer laborum sanè multorum ac grauium testimonia, i fuit vitæ cursus Alciati, viri sanè dignissimi qu tumulo nondum tegeretur, vt quæ laudato & fructuoso conatu incœperat, eadem studiorum contenti ne perficeret. Nondum ætatis annum octauum & quinquagesimum excedens, pedum dolore prim quidem leuiter correptus, deinde paullò grauius & crebrius, adeò vt continuę febris symptoma illi mo*

bo

bo adiungeretur, paullatim confectus, intra decem & quatuor dies, ſemper integris ſenſibus toto morbi tempore, animam Deo reddidit, Ticini, anno ineunte Christiano quingenteſimo quinquageſimô nono ſupra milleſimum, ſepultus honorificè in Baſilica Ticinenſi; vir cui (auſim dicere) plus ſua patria, quàm ipſe patriæ debeat. Eius ſymbola, vt quæ ad ingenij adeo excellentis commendationem pertineant, hic ad extremum addenda cenſeo. Vnum fuit illi gentilitium, vt ipſemet in Emblematis ſcripſit, ad nomen Alciatorum alludens. in eo conſpicitur Alce, fera Germanica, quæ vnguibus oſtentat auream ſententiam, μηδὲν ἀναβαλλόμενος: huius ſymboli, hæc explicatio.

Alciatæ gentis inſignia ſuſtinet Alce.
　Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe roganti
　Qui tot obiuiſſet tempora geſta breui?
Nnnquam, inquit, differre volens: quod & indicat Alce:
　Fortior hæc, dubites, ocyor an ne ſiet.

Quanquam tamen in ea eicone Alciati ad viuum expreſſa (qua me nuper donauit ANDREAS THEVETIVS, Regius coſmographus) ſint inſignia familiæ Alciatorum ſic expreſſa, vt in ſcuti planitie, ſit à læua depicta turricula, ſub qua Aquila erecta, corona inſignita, à dextra, repagula quatuor: ſupra ſcuti eandem planitiem galea (ſignũ

equeſtris dignitatis) ſuperiùs etiam ceruinum caput cum pectore, pedibus anterioribus prominens; in apice denique inſcriptum verbum emblematis, μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Alterum ſymbolum ſibi proprium & peculiare fecit, vti memoria proditum à Paulo Iouio. Caduceus eſt Mercurij inter duo Amalthea cornua, cum inſcriptione, ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται. eius hæc ſententia Emblemate comprehenſa:


Anguibus implicitis geminis Caduceus alis
 Inter Amaltheæ cornua rectus adeſt.
Pollentes ſic mente viros, fandique peritos
 Indicat vt rerum copia multa beet.



AD calcem huius Commentarij, admonitum esse volui philologum, me de industria priore illa editione, quam tanquam fœtum abortiuum parturieram superioribus anteactis annis, transilijsse vnum Emblema, cuius argumentum mihi displiceret, ipsaq; sententia: tũ quòd mihi non faceret ad stomachum, tum etiam quia non videbatur castis auribus committenda, censebatur indigna quæ mea explicatione illustraretur. Ne tamen studiosos omninò defraudem, qui me vrgent & certè cogunt, vt si nolim enarrare pluribus, quod ingenuè ac liberè me fateor ignorare, saltem ipsum fontem detegã Emblematis: id quidem certè ea velim cautione factũ, ne quis offendatur. Epigrapha seu titulus carminis sic habet, *Aduersus naturam peccantes*: carmen verò ita:


Turpe quidem dictu, sed & est res improba factu,
Excipiat si quis chœnice ventris onus.
Mensuram legisq; modum hoc excedere sancta est,
Quale sit incesto pollui adulterio.

Video allusum fuisse ad Pythagoræ dictum, audio id torqueri in nefandum aliquod flagitium, idq; comparatione ostendi. sed hæc satis. Cæterùm id apparet esse tractum ex Heliodori 5. de Insomnijs, eius hæc verba: *ἔδοξέ τις εἰς χοίνικα χέζειν: ἑάλω ἀδελφῇ ἑαυτοῦ μιγνύμενος. μέτρον γάρ ἡ χοινιξ. τὸ δὲ μέτρον, νόμῳ ἔοικε. τρόπον εἶναι τινα παρενόμει, παρὰ τὰ νενομισμένα κοινῇ τοῖς ἕλλησι πράττων.* Hæc Latinè ita sonant: Quispiam sibi visus est in chœnicem aluum exonerare, conuictus de eo quòd cum sorore cubitasset, damnatus est: mensura enim est chœnix: at quidem mẽsura legi similis est. quodam itaque modo legem transgressus erat, qui nimirum admisisset aliquid præter leges toti Græciæ communes.



LAVRENTIVS PIGNORIVS

Lectori.



VErissime dixit (amice Lector) qui dixit, Grauissimum esse imperium consuetudinis, cum enim nescio quo malo fato Pictores, & Incisores desumpsissent sibi iam olim politissima hæc Emblemata figuris illustranda, barbare adeo se gesserunt, vt nemo sit paulò elegantior, qui hac præpostera istorum opera non offendatur, & quidem grauiter.

Qui Antiquitatis notitiam aliquam habent, sciunt profectò quid intersit inter veras, & falsas imagines, cum veræ, & quadrent carminibus, & referant nobis germanum sensum auctoris, falsæ verò longe abeant, & sensum eludant, quem scriptor sibi explicandum proposuerat. Verum hæc est vetus querela, nec solos tangit Atridas iste dolor. Pictorum enim audacissima natio in omnia huiusmodi furiosè debacchatur, ibi plus sibi licere arbitrata, vbi minus par erat libuisse. Verum quia hi peruersitatis suæ amatores habent non paucos,

quibus

quibus antiquum est despicere quæ sibi non probantur, & ea quæ non intelligunt traducere, operam arbitror non ludemus, si consilij nostri apud hos extabit aliqua ratio, a qua demum discant, non continuo malum esse quod illis non usquequaque placeat. Et vt e multis aliqua delibemus, Mercurius vialis, qui comparet in Emblemate octauo; Amor, Veritas, & Honor in nono; Minotaurus in duodecimo; Chimæra in decimoquarto; Draco in vigesimosecundo: Harpyiæ in trigesimo secundo; Scylla in sexagesimooctauo, non ne huc vsq; perperam repræsentata sunt? atqui dicent, se primum non temere credere, vt monuit Epicharmus: deinde cupere vt probentur quæ dicuntur. audio, at audiant, & ipsi. Mercurius ἐνόδιας, *in triuijs, & quadriuijs collocabatur, isque truncus brachijs, & pectore tenus, & quidem Hermæ nomine. abstinebo a testibus, vnusq; mihi Alciatus satis superq; erit,*

Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.

Qui volent ampliora, habebunt eruditissimum cōmentarium Hieronymi Aleandri ad manus, in quo ille Solis Pan-Theologiam, ex antiquorum sententia eleganter asseruit. Amor, Veritas, & Honor scalpti in antiquo lapide (vt edidit primus omnium Iacobus Mazochius Romæ anno M. D. XXI. charta C. XXII.) quin obuersati fuerint Alciato, mihi sane diù nemo pernegarit, modo nouerit quā

ille studiosus fuerit vniuersæ antiquitatis. Minotaurum hactenus in Emblematis qui nobis exhibuerunt, illi nobis Centaurum pro Minotauro supposuerunt, & quidem in ea vexilli specie, quam veteres nusquam agnouerunt. Porrò de Minotauri figura adeant qui cupiunt Dialogos A. Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, qui Alciatum præceptorem ita proxime premit, vt non secundus, sed alter ab illo sit. Chimerę figuram discimus ex antiquis Corinthiorum nummis, qui mirificè illustrant carmen Ausonianum.

Prima Leo, Postrema Draco, media ipsa Chimera:

Vnde, & Fulgentius lib. 3. Mytholog. Chimæram tricipitem pingi testatur Leonem videlicet in principio, Capram in medio, Draconem in fine, quæ habet ante Fulgentium Hyginus non vno in loco. Palladis Draconem in ea hæresi sunt nostri, vt credant fuisse alatum, auritum, & quadricrurē, pessime omnino. antiquitas enim omnis, Dracones serpentum vulgarium forma perpetuo exhibuit. vidimus autem proxime quid Ausonius in Chimæra, nomine Draconis interpretatus sit; & nos alibi proposuimus Sardæ iconismum, in quo Draco, Antiphili cælo insculptus, arcum intendebat, apposita ad neruum sagitta, & pharetra spiris implicita, cuius hoc erat lemma in altera parte eiusdem Gemmæ ΔΡΑΚΩΝ ΘΕΑΓΕΝΟΥΣ ΑΛΚΙΜΟΣ

ΑΛΚΙΜΟΣ ΤΟΞΟΤΗΣ ΑΘΗΝΑ. *vt mittamus quæ alias annotauimus de curru Cereris, de statua Laocoontis, de imagine AEsculapij, de malis Hesperidum, de Mercurij virga quam Caduceum appellamus. & sanè hāc Athenagoras Dracone, & Dracoena constare insigniter scribit. Imo Arnobius, & Iulius Firmicus anguem, & colubrum appellant in sacris Sebazijs, quem Clemens Alexandrinus Draconem. Et Draconarij in exercitu Romano quid prætulerint notum sane est. Hos tamen Dracones sunt qui Angues, & Serpentes non semel vocitent. Harpyiarum imago restituta est ex antiquis monumentis (ita enim extabant in antiqua Gemma excisa, eius generis quod Gemmarij nostrates vocant Cameo) à Zetho, & Calai in fugam actæ. Scyllam qui viderint in anterioribus editionibus, non rideant, modo possint se continere. nos illam e veteri ectypo hic, & alibi exprimendam curauimus. Et his paucis factum arbitror satis nostris calumniatoribus, quos ego præ candidi Lectoris erudita censura nihili sanè facio. At ad hanc diligentiæ normam exactæ sunt Icones non paucę, quæ in mendo erant, quas sanè restituissemus feliciter vniuersas, nisi artificum torpor & nescio quæ fati inuidia obstitissent. Hunnus.n., siue Finnus in Emblemate XXXVII. totus pellitus, exceptis oculis, erat exprimendus vt in editione Lugdunensi anni 1550. in XLIV.*

ad ſimulachrum Spei erat appingenda Cornix. & hic obiter monitum Lectorem volumus Doliolum ligneum noſtris moribus depictum eſſe, quod teſtaceum æquius fuerat exprimi, quamuis, & ligneum ab antiquitate ſit, vt nos in cõmentario noſtro de ſeruis pridem annotauimus. in centeſimo Pictor addidit de ſuo, nimium quidem liberalis, auiculas duas, nobis inuitis. in CXV. alæ Sirenibus additæ ſunt non admodum ad mentem Auctoris, licet antiqui non ſemel addiderint. Emblema CXXVII. quod inuerſum cernatur, illud vero operarum typographicarum flagitium eſt. in CXXXVI. Cicadæ in veſtitu viri Attici, & Lunula in calceo Romani non apparent, quia vel Pictor, vel Cælator omittendas duxerunt: quam ob cauſam, ipſi viderint: ego ſane oſcitantiam interpretor, & ſtuporem. in CXLIV. Pictor iuſſus effingere Principem cæcum, videtur anſam præbuiſſe cælatori, vt videntem effingeret. CLXXX. Imagines cælator per ſummam inſcitiam deprauauit, aurem fiſſam Herculi, linguam auditoribus cathena traiectam exprimens, per turpiſſimum ὑστερον πρότερον. alia ſi qua ſunt quæ properantem ſefellerint prætermittimus, obſeruanda nimirum ocioſis, quos occupationes minime premãt, & quos delectet in ſcirpo nodum quærere vt aiunt. Deſino autem hic non inuitus, monitis tamen prius his, qui ad legendum accedent, in exemplari Raphe-

phelengiano anni 1591, quo noster typographus est vsus, præpostere collocatas fuisse imagines Emblematum CXI. CXII. ideoque nos primitus seriem vulgatam inuertisse ad mentem carminum ipsorum. CLIV. & CLV. nos non primi transposuimus; sed secuti sumus editionem Lugdunensem, quæ transposuit & quidem recte. Et hæc pro opella nostra dicta sint, cuius neq; ideo nos pœnitet, quod successus non arriserit omnino conatui nostro. in præclaris enim conscientia ipsa recte factorum optimos quosque consolari solet. atq; hac nos & fauore tuo benigne Lector interim erimus contenti. Vale.



AD

CHonradus Peutingerus quiſnam fuerit nemo melius Bernardino Trebatio Vicetino expoſuerit. Is enim anno M D X V. Peutingero inſcribens verſionem ſuam Hieroglyphicorum Ori Apollinis, hæc habet; antiquitas ipſa nullo magis gaudet alumno. Romani autem Cæſares quem alium malint curatorem? non tibi eorum geſta cognouiſſe ſatis, eos ipſos ſignatos omnes in chartis, ære, argento, ſolido auro demonſtras. & quod viui non potuerunt, mortui adepti ſunt: vt eodem tempore & iuuenes & ſenes, & in omni ætate quales fuerint conſpici poſſint. Sed & ipſi Romani duces, quod non ſecundo perierint, tibi acceptum referunt. tu eorum Epigrammata colligis vndecunq; & iam vetuſtate collapſa, dimidiata fere reſtituis, ac das, vt poſtquam in marmore nequeunt, in chartis legantur. hæc ille.

Dũ pueros iuglãs] gradatio elegãs; pueri iuuenes, viri.

Chartula picta] Volaterranus lib. 29. Philolog. nouitium inuentum eſſe ſcribit.

Hac nos feſtiuis Emblemata cudimus horis.] diebus feſtiuis. Virgilius horam ſumpſit pro die.

——nunquam te craſtina fallet Hora——

Cicero lib. 1. in Verrem, hic tu fortaſſe eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. vbi Aſconius; mire horis dixit, cum dies ſint plurimi. & veteres præterea horas generaliter dicebant more Græcorũ

Veſtibus vt torulos] moris fuit Alciati ætate, vt veſtibus aſſuerentur, vel in ima fimbria, vel in manicis, vel in thorace, imagines & dicteria ingenioſa; vt videre poſſumus in picturis Ducum, & Imperatorum eius æui. & memini me notare in Solidis aureis Ludouici Sfortiæ, & aliorum. & quidem Ludouici illud fuit non admodum vulgare in hoc genere; quod antiqua libertate perſtringit Matthæus Boſſus, in epiſtola ad Iacobũ Comitẽ Purliliarum. ita quoq; & Ludouicum multi putant pœnas miſeri-

ſeri-

ſericorditer, & diuinitus dare, quo ſe ſe exploret atque agnoſcat, qui ſupra humanos errores, ſe tantę mẽtis cæcitati obſtrinxerat, vt humana, atq; diuina iuxta deluderet. nam pro pulchro, & regali nomine (Ludouici) Maurum vocari; & pro eleganti forma pingi nigerrimum, atq; terrificum ſe fecit, inuertentem manu orbem terrarum, & circa orbem hoc ænigma inſcribi, quod eſt Dei ſolius audere; FACITO VELIM, quum fuiſſet ei ſatius dicere FACITO poſſim. hæc ille. extat etiam nunc in templo D. Antonij, apud nos; prope oſtium ſacrarij inter alteram antarum & parietem, imago viri militaris, in cuius manica legitur patria lingua TV DIRE', E MI FARO' tu dices: at ego faciam. thraſonice plane. Iõ. Villanus lib. 10. Hiſtoriarum Flor. cap. 60. de Caſtrucio; per leggiadria e grandigia fece vna roba di ſciamito cremisì; e dinanzi al petto con lettere d'oro, che diceano EGLI E QVELLO CHE DIO VVOLE; e nelle ſpal le di dietro ſimile, E SI SARA' QVELLO CHE DIO VORRA'.

Petaſis vt figere Parmas.] Parma inquit Varro; quod à medio in omnes partes par. intelligit autem auctor nummos aureos, grandiores vel argenteos inauratos; gemmasq; exciſas vel inciſas auro incluſas, quæ omnia ad Petaſorum ornatum transferri etiam nunc ſolent.

Et tacitis valeat ſcribere quiſq; notis.] Notæ hic Ziffræ ſunt. de quibus Io. Andreas Palatius, & alij.

Precioſa numiſmata.] hæc ego vetera nomiſmata inter pretor, non donaria: Cæſares vt ait Trebatius) ſignatos ære, argento, ſolido auro.

AD EMBL. I.

Talia Pellæum geſſiſſe nomiſmata Regem.] ego ſane arbitror hic nomiſmata Nummos veteres eſſe. vidimus enim, quod ſequitur in carmine omnem dubitationem tollit. Alciatus autem vetuſtatis fuit obſeruantiſſimus.

AD EMBL. II.

His populis patria debita origo mea eſt.] Michael Tonſus

ſus I.C. in oratione, quam habuit ad Georgium de Ambaſia Card. nomine populi Mediolanẽſis; anno 1500. cum inter Hiſtoricos conſtet Mediolanum, omnemq; Inſubriam, Gallorum vnam pene coloniam fuiſſe. Id quod vel ex hoc facile colligimus, quod vniuerſum hunc tractum Galliam Ciſalpinam adhuc nuncupamus.

AD EMBL. III.

Alciatæ gentis.] hæc omnia ſane ingenioſe, vt annotauit eruditiſſimus ſcholiaſtes, excogitata ſunt. at vetus familiæ nomen fuit Alzatus, vt conſtat etiam e carmine Poetæ Bituricenſis,

Non nos ſed noſtros nummos Alzatus amabat.

Et in vetere editione Auſoniana apud me, in qua cernitur autographia cl. viri, legitur hæc Inſcriptio.

Andreæ Alzati liber eſt, & amicorum eius.

Cæterum Alciatus inualuit, Alzati loco. & forſan in Emblem. LXIII.

Alcæam veteres caudam dixere Leonis,

nonnulla eſt alluſio ad cognomen erudite immutatum.

AD EMBL. X.

Halieutica fertur.] Lembum etiam nunc Ligures appellant Leudo, ſiue Leuto. & ab hac forma lembi appellationem inuenit Cithara apud noſtrates celeberrima (vulgò Liuto) quam auctor adſcribit (vt videtur) Italis inuentoribus, ſeu, quod ego malim, perfectoribus. & quidem videtur falſus in etymo Volaterranus, qui lib. XXXV. Philologiæ hæc habet, Leutum vocant fortaſſe a leuore, & loco plectri penna percutitur. in quo excelluit Petrus Bonus Ferrarienſis. pulſatur & digitis inuento noſtra ætate Stephani Hiſpani aulici Ferdinandi Siciliæ Regis, excellentiſſimi Lyriſtæ. Antonius etiam Rota Patauinus (vt ſcribit Scardeonius) pulſando Liutum, in Italia, eruditorum iudicio, vix parem habuit.

Quo noua cum ſocijs] P. Iouius lib. XV. Hiſtoriarum; interea Maximilianus Sfortia, quum crebris rumoribus afferretur, maximum in Gallia exercitum comparari, &

Re-

Regem ipsum belli ducem, superatis Alpibus in Italiam primo quoq; tempore descensurum, commeatus, arma, equos, tormenta, atq; omnis generis præsidia summo studio parare, pecunias singulis vrbib. imperare, munire arces, & Heluetios cæterosq; socios Principes per legatos obnixe precari, ne se in tanto rerum discrimine desererent vellent.

AD EMBL. XXVI.

Gramineam corollam.] hæc fuit obsidionalis, non ciuica. ciuica enim constabat e Quercu. obsidionalis e gramine. Paschalius & alij. Laurentius Lippius Collensis, in Distichis,

De Obsidionali.

Obsessam Pœno seruauit milite Romam
Quintus, natiuo gramine serta tulit.

de Querna Virgilius,

Atq; vmbrata gerunt ciuili tempora Quercu.

AD EMBL. XXX.

Cucupha auis quæ fuerit ne pigeat Lectorem perquirere in commentario nostro ad Mensam Isiacam. non est vtiq; Cicuma, quæ videtur esse Nycticorax, vt apud Antoninum Liberalem.

AD EMBL. XXXIII.

Vt tumulo insideas ardua Aristomenis.] scio & video quæ adnotauerit eruditissimus scholiastes. at nescio quomodo Alciatus potuerit celebrare tumulum Caroli V. cum Carolus obierit anno MDLVIII. Alciatus anno MDL. videtur autem imitatus Marullum.

DE AGESILAO

Nuncia magnanimi volucris Iouis, ede quid Vrna
Inuicti rostro cudis Agesilei?
Ipsa inter volucres quantum caput effero, tantum
Mortales omnes cedere Agesileo.

Laudauit autem & idem Marullus Aristomenen.

Viderat armatas vni dare terga cohortes
Iuppiter, & Martem credidit esse suum.

Mox

Mox vt Aristomenes notis procul agnitus armis,
Et fulsit volucris auxiliaris apex
Macte ait o iuuenis si te mea bella tulissent
Non alia cœlum tunc eguisset ope.

AD EMBL. XXXIX.

Fœderis hac species.] ego vero sponsione contenderim, Alciatum cum hæc scriberet, respexisse ad eam speciem Anuli, qui dextras implicitas exhibet, quiq; in frequenti vsu apud nostros maiores, nunc apud nos (vti præclara quæq; repudiauimus) vix, ac ne vix quidem extat. nos appellabamus olim annello di Fede. videtur autem carmem effictum in commẽdationem muneris, vt & Antonius Quærengus politissimus nostri sæculi poetarum, in munus smaragdi lusit elegantissimis carminibus, quæ hic subscribam, vt auctoritatem concilient labori huic nostro tumultuario,

Quem fulgore tibi rutilum viridante Smaragdum,
Parua nouum mitto munera ad hospitium,
Hunc, ne ingrata tui subeant obliuia Lygdi,
Pulcher Hyla digitis insere marmoreis.
Et quoties oculis flexi teres incidet auri
Incluso radians circulus in lapide,
Dic tecum, quo Lygdus Hylam bonus ardet amore,
Nullum aurum, nulla est lucida gemma magis.

AD EMBL. XL.

Zenalis apta manus.] Bernardus Zenalis Taruisinus acutus Pictor & Architectus, scripsit de Pictura. ita Io. Paulus Lomatius, qui eiusdem non semel meminit. Bonauentura Castillioneus; quatuor præterea orbes eodem in marmore conspiciuntur, ex quibus testimonio Bernardi Zenalij Architectonices peritissimi, noster Alciatus existimat, aquas ab Agonalibus vel aliunde labentes, per cuniculos ex orbibus insilientes, copiam earum indigenti populo subministrasse.

AD EMBL. XLII.

Huic Emblemati, & XLVI. mirum est ni occasionem

nem dederit Marullus, qui (vt animaduertit etiã Claud. Minos) lib. 3. carm. ita scripsit.

DE SPE ET NEMESI

Quanam hæc tam semper quæ læta est? optima rerum
Spes bona. quæ lateri iuncta? potens Nemesis.
Dux magis an comes est? vindex magis. vnde duabus
Templa eadem? speres ne nisi quod liceat.

Et hinc licet videre quam minime puduerit, & quidem non semel, clarissimum virum laudatis aliorum vestigijs insistere, quod nescio quibus nimium delicatis religiosum fuisset.

AD EMBL. LII.

Paulus Iouius lib. 11. Historiar. Sub idem tempus Sfortia aduersis nutãtis Liguriæ rumoribus, & Sacramori Vicecomitis inexspectata defectione perculsus, cum primis Heluetiorum cohortibus Nouariam contenderat: vt opportuna in vrbe, tutus ab insidijs aduentantes legiones exspectaret. Sacramorus circumuallandæ arci præerat, vir principe ortus familia, sed maiorum suorum Virtutis & Gloriæ penitus oblitus, vtpote qui fortuna sua minime contentus ad antiquum inclytæ domus decus, nequaquam bonis artibus aspiraret alebat enim circa se audaces veteranos ab egestate atq; superbia cædibus assuetos & maleficijs infames, & in his aliquot primæ nobilitatis adolescentes dissoluta vita perditos & effrenes, qui a parentum imperio, gratiaq; dilapsi, licentiæ militaris libertatem quærebant. &c.

AD EMBL. LVI.

Ambitio quos iuuenilis agit.] hæc aut ego insigniter fallor, aut de Galeacio Sfortia Duce Mediolanensi dicta sunt, qui natus annos tres supra triginta, ab Andrea Lamponiano, Hieronymo Olgiato, & alijs in æde D. Stephani cæsus est. Lamponianum autem celebrauit elegantissimis versibus Marullus lib. 3. carm. & de Galeacio Bossius ep. 5. scripta ad Lodouicum Sfortiam; Quod tuo fratri Galeaz facile contigisset, ni generosum quidem ani-

mum

mum ad ſæuitiam, intolerabilemq; libidinem conuertiſſet. &c.

AD EMBL. LXXIV.

Iam ſpeculum Veneri.] Speculum fuit anathema Veneris. Philoſtratus Iconibus. ideoq; Triton apud Appuleium Veneri Speculum prægeſtat, in pompa.

AD EMBL. LXXVII.

Laurentius Lippius Collenſis, in Diſtichis

Surgentem Venerem mollis Lactuca moratur.
Deuoret Erucas qui cupit eſſe ſalax.

AD EMBL. LXXIIX.

Laurentius Antiquus, Leontinus; inſignis Theologus, & raræ probitatis nec vulgaris eruditionis vir, arbitratur hoc ſymbolo, Motacillæ Crucis orbi incluſæ, voluiſſe Alciatum exprimere illa D. Pauli ad Galatas cap. 5. qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. interpretatur autem dirum amorem Venerem maſculam, cui auctor adiungat illicium fœminarum, quæ duo mentem diripiunt. profecto frequens ille caudæ motus in Motacilla neſcio quid obſcæni repræſentat. pie ſane, & ingenioſe.

AD EMBL. LXXIX.

Mus albus.] hodie vocant Armellino, de quo Paſchalius in libro de Coronis, & Stephanus Pighius in Hercule Prodicio.

AD EMBL. LXXXIII.

Dictus Ardelio.] Phædrus elegantiſſimus fabulator

Eſt Ardelionum quædam Romæ natio,
Trepide concurſans, occupata in ocio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi moleſta, & alijs odioſiſſima.

AD EMBL. LXXXIV.

Fauſtus Andrelinus in Diſtichis.

Semper eget, ſitiens medijs ceu Tantalus vndis,
Inter anhelatas pauper auarus opes.

AD

AD EMBL. LXXXV.

Septitius populos.] auari hominis insectationem habet Phædrus,

Vulpis cubile fodiens &c. lector inde petat. quia nos properamus.

AD EMBL. LXXXIX.

Faustus Sabæus.

Erexit statuam Periander Arionis, & qui
Aequora sulcanti tergora curua dedit.
Delphini monstrat placidi pia fabula, quantum
Exsuperent homines impietate feras.

AD EMBL. CII.

De Prometheo argute satis Antonius Thylesius.

Illusit superis quondam vafer omnibus vnus
Mortalis, tacitas surripuitq; faces.
Iupiter vlciscens, mortales imperat omnes
Ludat vt occultis ignibus vnus Amor.

AD EMBL. CIII.

Nunc te cera eadem.] hoc est Encaustum, & Encausis. vide Plinium & alios. suspicamur autem hic innui artem iconicam, quæ ex cera varie colorata effingit imagines ad viuum, & illas quidem ectypas. cuiusmodi artificio inclaruit non semel Vrbs Mediolanensis.

AD EMBL. CVI.

Huiusmodi imaginē proposuerat sibi Faustus Sabęus.

Improbe inermis Amor, quid risu fallis amantes?
Sepositis armis, non tamen insidijs.
Nam sub flore dolos, sub pisce pericula claudis:
Allicis vt perdas improbe naufragio.

AD EMBL. CX.

Ter spuit inque sinus.] Ego legerē, Ter spuito inq; simus imos ad arcendum videlicet Fascinum. Plin. lib. 28. cap. 4. Scaliger ad Petronium, & Lindenbruchius in Cirin. lacrymæ enim Amoris non restinguunt, sed excitant incendium. aliter tamen videtur sensisse Georgius Anselmus.

Funde diu vinctus gemitum Deus improbe & exlex,
Funde diu tepidas ex oculis lacrymas.
Prædo Pudicitiæ & rationis, mentis abactor,
Cæcum vulnus, edax cura, proteruus Amor.
Absoluunt homines grauidis tua vincula curis,
Tu modo da rapidis irrita verba Notis.
Nam quem accendisti miseris in mentibus ignem,
Extinctum lacrymis nunc quoq; cerne tuis.

AD EMBL. CXI.

Infans Lydius] series imaginum transpositarum, v olim in omnibus fere Editionibus (hac nostra excepta) fecit vt scholiastes infantem Lydium Cupidinem interpretaretur. quod sane a vero longe abest.

AD EMBL. CXII.

Tabella picta huius argumenti extat apud Aloysium Corradinum Iuris Consultum & quidem manu periti artificis depicta, in qua leguntur hi versus,

Dum puer alueolo furatur mella Cupido
Furanti digitum cuspite, fixit Apis.
Sic etiam nobis breuis, & peritura voluptas
Quam petimus, tristi mixta dolore nocet.

Videntur autem decerpti ex illis Herculis Strozzæ,

Dum Veneris puer alueolos furatur Hymetti
Furanti digitum cuspite fixit Apis.
Indoluit grauiter, puerilia q; ora rigauit
Fletibus, & matri spicula questus ait:
Vnde hæ tantillis Vires animantibus? vnde:
Exili possunt lædere aculeolo?
Cui Dea subridens inquit, non tu quoq; nate
Corpore non magno, vulnera magna facis?

AD EMBL. CXIII.

Hic certa, ac cæci spicula vana mouet.] ego arbitror scripsisse Alciatum.

Hic certa: ast cæci spicula vana mouent.

Neq;

Neq; hāc meam coniecturam potui dissimulare studiosi utem æqui boniq; consulent sat scio.

AD EMBL. CXIV.

Sic Ithacum.] Ithacus Dux hic est Vlysses. ita Embl. XXVIII.

Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit.

sic LXXVI.

Atq; Ithaci postquam vina bibere sues.

sic CLXXI.

Audijt hæc Ithacus ——

CLXXI.

Mercurium hoc Ithaco ——quod videtur effictum ex disticho Laurentij Lippij

Accipias Moly (magno si credis Homero)
Nec lædent animum Thessala philtra tuum.

AD EMBL. CXVII.

Vilia sunt giluis, natiuaq; vellera Byrrhis,
Qualia Lignipedes stragula habere solent.

Antonius Thylesius, de coloribus, cap. 4 est & color albi nigriq; particeps, a græcis inde Leucophæos, voce iam a nostris vsurpata, vocatus. genus est id coloris natiui, non enim inficitur, sed ouis ipsa sic natura quasi pingitur. Hunc sibi secta sacerdotum sumpsit sanctissima, qui nulla tunica linea penitus indui, pro cingulo, reste se vinciunt nodosa, ac ligneis tantum calciamentis vsi, precario victum quæritant.

AD EMBL. CXIIX.

Huiusmodi Emblemate vsus est & Desiderius Lignamineus Patauinus, ord. Prædic. cuius meminit Bernardinus Scardeon. lib. 2. class. 6. sola autem Epigraphe Ia-

ſon Maynus. I.C. Iou. in Elogijs, Iaſoni Mayno Medic lanenſi. vti ipſe in gentilitijs inſignibus præſcribere ſolebat, VIRTVTI FORTVNA COMES non defuit

AD EMBL. CXXI.

Capti temporis articulum (vt vocat Alciatus) Calliſtratus in Ephraſibus egregie deſcripſit. is fuit καιρὸς Græcis. vide Phædrum lib. 5. Fabular.

AD EMBL. CXXII.

De Panico terrore Martin. Ant. Delrius in Adagialibus ſacris. Cominæus lib. 7. c. 11. Matthęus Boſſus, Epiſt. 60. de Ludouico Sfortia. qui & fidos atq; optimos in eũ ſuos populos ſpoliauerat opibus, atq; pecunijs, per execrabiles, atq; nefarias exactiones & mulctas, vt tali rapina ditatus, omne ferme ſolus aurum poſſideret Italiæ, ſuorum ciuium & omnium pene hominum in ſuam perniciem (quod eſt Auaritiæ) odio contracto, adeo vt vix audito quod Gallicus aduentaret hoſtis, nullis amicis agnitis, ſed ſibi quoq; diffidens, dimiſſis vrbibus, oppidis, caſtellis, arcibusq; munitiſſimis, timore fœmineo, ac veluti damula, vitam fuga ſibi quæſierit &c.

AD EMBL. CXXVII.

Locuſtæ anno Domini MDXLII. die XXIIX. Auguſti Inſubriam, & Venetiam depopulatæ ſunt. id vero quo ad annum adeo verum eſt, vt ambigere non liceat. Præibat porro illarum agmen (vti traditum eſt) monſtrum, quod nos hic appingendum curauimus, cum locuſtæ imagine, vt rei memoria perennet, videantq; Prouidentiæ diuinæ hoſtes, ſyntaxin DEI OPT. MAX. in pœnis etiam infligendis, ad quas non ſine mente & conſilio prodit ſapientiſſimum illud numen.



Et huiusmodi parergo vsi sunt tunc temporis Phrygiones, vti ego non semel animaduerti, in aulæis exornandis.

ADEMBL. CXXXIII.

Huius Emblematis figura ante hanc editionem, ipsi etiam Heraclito risum mouisset. Quod autem adeo magnificum tumulum ipsi Galeacio excitarit Alciatus, id optimo iure factum est. nemo enim Regum (scribit Iouius) ornatiore aut sumptuosiore Exequiarũ pompa elatus est. ne pigeat legere quæ de ipso habet Corius sect. 4.

ADEMBL. CXXXIV.

Palladiæ sertum frondis.] Aemilius Probus, siue is fuit Cornelius Nepos, in Thrasybulo; huic pro tantis meritis, honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis, quam quod amor ciuium, & non vis expresserat, nullam habuit inuidiam, magnaq; fuit gloria. videtur autem cusum hoc Emblema in ciuem aliquem Mediolanensem ciuilis concordiæ, & publicæ rei studio-

ſum. conſueuit enim Alciatus ſub antiquorum perſon viros ſui æui in ſcænam inducere, quà bonos quà ma los, quà nobiles quà inglorios & huius rei in Emblem tis ſparſim non obſcura apparent veſtigia. nimirum.

——— *ſeruitus obnoxia*
Quia quæ volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamq; fictis eluſit iocis.

Cæterum tunc temporis & Brixiani ſuum Thraſybulum habuere, Benedictum videlicet Maximum, cuius extat de forma Reipublicæ Brixianæ conſtituenda præclarum conſilium & de eodem non ignobilia Encomia carmine conſcripta.

In magna nemo eſt.] hoc quidem magnum quid fuit: at quod vix fidem inueniat. Virtuti enim ſemper comes inuidia, & æmulatio. Et ſane in comitijs vrbis noſtræ olim, cum ciuis quidam, omnibus ſuffragiis, quotquot interfuerant, conſecutus fuiſſet, honorem, quem petebat, illum Prætor qui aderat, de facie noſcere cupiens, gratulatus eſt, quod omnes illum amarent. at Præfectus dolere ſe, quod neminem inimicum haberet. vt enim inquit Publius,

Miſerrima eſt Fortuna quæ inimico caret.
Et recte (quiſquis ille fuit) Optima, cibus Inuidia.

AD EMBL CXXXV.

Rhœteo.] nullum hic peccatum; ſi Plinium, & alios rectè perpendamus.

Viridi lapis hic Amarantho.] Amaranthina corona D. Petro, in epiſt. 1. ea eſt, quam interpres vertit immarceſcibilē, τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης ςέφανον, & notauit olim A. Auguſtinus. quo reſpexiſſe videtur Clemens Alexandrinus, Pædag. cap. 8. pulcra enim Amaranthi corona ei eſt repoſita, qui ſe recte geſſerit. Amaranthus autem eſt immortalis Poetis. Plin lib. 21. cap. 8. & huc pertinet quod narrat Philoſtratus in Heroicis, Neoptolemo coronas Amaranthinas primos Theſſalos ad funera ex le-

ge

ge conſtituiſſe, vt etiamſi venti nauem abduxiſſent, minime flaccidas ac deformes adferrent. Venetijs porro, vt audio, Menſæ, hyeme in conuiuijs, Amarantho exornantur; quam in hunc vſum toto anno reſeruant, vt adhibito aquæ tepidæ lenocinio, mox ad libitum reuireſcat in purpuram.

AD EMBL. CXXXVII.

Docta per ora.] hæc (mea quidem ſententi a) eſt apotheoſis Herculis, e rogo Oetęo videlicet in cœ um, vt illi fabulabantur. Minucius Fel. Hercules vt hom inem exuat Oetæis ignibus concrematur. Iulius Frmicus, cremat & conſecrat Herculem triſtis Oetas. Seneca in Hercule, Oetæo. & hanc videntur fuiſſe æmulati Romani in Auguſtis ſuis conſecrandis.

AD EMBL. CXLII.

Hic Perſea cum Perſico videtur confundi: quod an liceat alij viderint. Hic Albucius(Aurelius nomine) fuit inſignis Poeta, & quidem Mediolanenſis, non Aurelianenſis, vt perperam ab alijs traditum eſt. Bonauentura Caſtillionæus; in vico Cliuij memoriolæ ſunt Albuciorum, qui mihi ſunt acceptiſſimi, quod ex ijs tam antiquiſſimis natalibus orti ſint Aurelius Poeta egregius, ab Alciato etiam celebratus, & Io. Iacobus &c. Eiuſdem Aurelij vidimus Chriſtianarum Inſtitutionum libros tres, carmine eleganti perſcriptos, quos Carolus V. diplomate, & A. Alciatus Epigrammate commendarunt. audiuimus etiam ſcripſiſſe, Hymnorum lib. vnum, Decem Virginum vitas, & Librum Iobi, aliaq;.

AD EMBL. CL.

Dion lib. XLVII. ſcribit, nummū percuſſum fuiſſe, cū Bruti imagine, & pugionibus pileoque. Extat autē apud F. Vrſinum eiuſdem figura, in Gente Iunia, & apud A. Auguſtinum Dial. 1. vti nos edendam curauimus.

AD EMBL. CLIII.

Conuellunt barbam.] Imitatio Martialis, lib. 10. epigr. 90.

AD EMBL. CLVI.

Hoc de Flaminio Malegucio Regiensi intelligi sunt qui arbitrentur. cuius monumentum, & aerea effigies visuntur apud nos in cœmeterio Ecclesiæ D. Antonij.

Nulli mage flendus Aresti.] alluditur ad cognomen Ludouici Areosti poetæ summi, quem fama est, Flaminium peramasse, captum specie ingenij, & morum elegantissimorum. Arestius autem recte. fuerunt enim qui crederent, Ariostos ab Aristijs manare. & mater L. Areosti fuit Daria Malegucia Regiensis.

AD EMBL. CLX.

Faustus Sabæus.

Mutuum auxilium.

Mendicum cæcus claudum ceruice ferebat,
Et ducebatur lumine ab alterius.
Ambo imperfecti corpus iunguntur in vnum,
Recte eat vt claudus, cæcus vt inspiciat.

Monuit autem Pierius Valerianus hæc non temere, & poetice conficta. habet enim ille tetrastichon, hoc lemmate.

In celebres mendicos.

Quærens edaci corpori vagus cibum
Claudum ferebat cæcus, illi fęnerans
Pedes, ab illo fęneratus lumina.
Quid non egestas dura mortales docet?

AD EMBL. CLXVI.

In littora compulit æstus.] Gallice, le regorgement de la mer, le flot de la mer. fluctus maris.

AD EMBL. CLXXXIII.

Hoc totum in annulum signatorium excogitauit Alciatus, vt ex verbo (ceras) animaduertere possumus. Serpens autem fuit insigne Vicecomitum, Leo Sfortianorū, qui Mediolani rerum potiti sunt. Gentiles autem Clypeos in Iouis alite gestare, est Aquilam complecti & ambire alis expansis clypeorum oras, vt videmus scuta domus Austriacę, & aliarum e prima nobilitate.

AD

AD EMBL. CLXXXIV.

Imago huius Emblematis cernitur in veteri gemma ſarda inciſa apud me, quam Romæ nactus ſum, cum alijs pleriſq; venerandæ antiquitatis cimelijs. ceterum de Eunomo-Strabo, Antigonus & Clemens Alexandrinus initio Protrept.

AD EMBL. CLXXXV.

Iis ſuauem iunxit & Harmoniam.] hic dubio procul alluſit Alciatus ad coniugem Cadmi Harmoniam, Martis & Veneris filiam.

AD EMBL. CLXXXVII.

Præcipitis monſtri.] Statius 2. Theb.

AD EMBL. CLXXXVIII.

Phædrus lib. 1. 5.
Choragi.] Caſaubonus ad Suetonium. cap. 70.

AD EMBL. CXCI.

Maxima debetur.] vxor eſt nomen dignitatis inquiebat alio ſenſu l. Verus Aug. Et hinc vxores dominæ dicebantur, honorifica in ſpeciem appellatione. Epictetus Enchiridij cap. 62. Iuris Conſulti alicubi. Virgilius in 6.

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

AD EMBL. CXCIV.

Marullus lib. 3. eodem omnino argumento.

Cum ferret medios proles Cytheræa per hoſtes
Impoſiti collo languida membra patris:
Parcite ait Danai, leuis eſt ſene gloria rapto.

At

At non erepto gloria patre leuis.

AD EMBL. CXCVII.

Cur age sic me compellas?] sunt voces patris, non puellæ.

A'D EMBL. CCVIII.

Petrus Paulus Vergerius Senior, in Commentario de ingenuis moribus, ad Vbertinum Carrariensem, hęc habet; nec vero suscipiendum est, quod omnibus pene vulgo est vsurpatum, vt existimemus eos, qui iuuenes supra ętatem ratione sapiant, maiores factos desipere aliquando solere, (quanquam & hoc quibusdam non abhorreat a physica ratione) quibus cum impuberibus sensus vigeāt, crescenti postmodum ętate marcescunt. quo in genere est senex quidam ab adolescente confutatus. obscurum est autem vtriusq; nomen. cum enim is pręter ętatem prudens probusq; haberetur, seuiq; ad mirandum illum ostenderent: erit igitur inquit in senectute demens, qui sit in adolescentia tam sapiens; & ita quidem voce sublata, vt adolescens audiret. ille vero innati acuminis nihil oblitus, atq; in eum protinus conuersus: tu ergo inquit pręclare in adolescentia sapiens extitisti; suisq; illum (vt aiunt) armis confodit. & hęc hactenus.

FINIS.

DE
ALCIATI
Emblematis testimonia.

ANDREAS ALCIATVS in tit. de rer. & verb. signif.

VErba significant, res significantur: tametsi & res quandoque significent, vt Hieroglyphica apud Orum, & Chæremonem, cuius argumenti, & nos carmine Libellum composuimus, cui titulus est EMBLEMATA.



IVLII

IVLII CÆSARIS SCALIGERI

Ex Lib. Poetices VI.

De Alciati Emblematis IVDICIVM.

ALciati, præter Emblemata, nihil mihi videre contigit: ea verò talia ſunt, vt cum quouis ingenio certare poſſint. Dulcia ſunt, pura ſunt, elegantia ſunt: ſed non ſine neruis. ſententiæ verò tales, vt etiam ad vſum ciuilis vitæ conferant.



LI-


LILIVS GYRALDVS

Lib. 2. de Poetis

NOSTRORVM TEMPORVM.

ALciatus poteſt inter poëtarum collegium & conſortium reponi , eo quòd eius extant carmina plurima diuerſis in vrbibus iam impreſſa, vt ſunt Epigrammata & Emblemata. De hoc enim illud veriſſimè dici poteſt quod eſt apud Ciceronem de Scæuola, Iuriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium Iuriſperitiſſimus: addam ego, & polyhiſtor, bonusq; poëta. Sed noſtra commendatione non indiget Alciatus, qui ſuis ſcriptis iam toti orbi illuſtris & clarus habetur.

In-



Indiculus eorum, quæ Operarum diligentiam fefellerunt.


2. ætatibus.
impertiat.
5. congressu.
6. leui.
10. consilijs.
15. præcipitium.
17. Asellus.
20. Quam fonet
32. Insigniri.
33. Eoi.
40. Athenis.
41. Echeneide.
47. Oleæq;
51. Naxio.
55. Gradiuus.
64. γηροκομεῖν
66. Harpyiæ.
67. ζητεῖν
76. Scythiciq;
98. virus stillet cibo.
99. incautis.
100. aucupibus.
108. insesso.
109. ita quidam.
110. pependit.
111. comitantur.
116. simulant.
121. captuq;
127. tradere.
142. amuletum.
suffossum.
144. furiosius.
154. pane mucido, larido.
162. Gnatho Siculus, Gallonius, Aesopus. Clod. Albinus.
165. sedilibus.
salsa iacis.
166. τραπεζολιχός
170. λαρυγγίζειν.
171. rumpit.
175. Quæ certæ
178. Euhius.
179. magna sit.
191. & maximus.
197. proh dolor.
fecundissimus.
199. petitur.
201. puerumne.
202. flectere.
vittamq;
203. Cupidini
204. βάλανος
211. in primis.
212. quem curæ
214. καὶ
220. fusis.
223. sicci.
229. dictitant.
231. ἡλικιῶται.

244. Lunula.
Lunulas.
247. repreſſiſſe.
249. fraudis.
donati.
254. at deſerta.
ſimilitudine.
255. decuria.
259. Anchora.
267. Flauium.
269. criſtis.
290. Eliacis.
313. non aduertit.
arceſſit.
317. parta.
320. corripis.
324. perpaucos.
326. quæ ſit.
329. ergo tuæ
330. ergo tuæ.
332. ijs ſuauem.
334. vtraq;
335. ſponde.
345. Atalantam.
352. ab effigie.
354. ni ſecum.

FINIS.



CL. VIRI ANDREÆ ALCIATI IN LIBRVM EMBLEMATVM PRAEFATIO AD CHONRADVM PEVTINGERVM AVGVSTANVM.





VM pueros iuglans, iuuenes dum tessera fallit,
Detinet & segnes chartula picta viros;
Hæc nos festiuis Emblemata cudimus horis,
Artificum illustri signaq; facta manu:
Vestibus vt torulos, petasis vt figere parmas,
Et valeat tacitis scribere quisque notis.
At tibi supremus pretiosa nomismata Cæsar,
Et veterum eximias donet habere manus,
Ipse dabo vati chartacea munera vates,
Quæ, Chonrade, mei pignus amoris habe.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

Dum pueros, &c.] Præponitur hoc epigramma vice Præfationis, qua suum libellum Emblematum consecrat viro nobili, Peutingero Chonrado. Primò itaque suum studium laudat ex dissimilibus: occasionē huius

opusculi conscribendi aperit: descriptionem emblematis, eiusdemque vsum ac finem ponit: & ad extremum amico homini ac docto Chonrado suum idem opusculum modestè commendat.

Dum pueros iuglans.] Tria lusuum genera totidem ætatibus apta initio attingit.

Festiuis horis.] Diebus genialibus, quo tempore remittere soleo ingenium à grauiore legum studio.

Artificum illustri.] Definitio Emblematum, de quibus nos iam satis superque.

Vestibus vt torulos.] Finalis causa Emblematum. Conferent hæc ἄφωνα signa, vt ornamenta quędam vestibus, pileis, ædium parietibus, aulæis, fenestris possimus apponere: vtque ingeniosi homines tacitis quibusdam notis, & quasi hieroglyphicis litteris animorum sensa exprimant.

Supremus Cæsar.] Maximilianus, cui fuit à consilijs Peutinger Augustanus.

Pretiosa nomismata.] Donaria, qualia boni principes conferre solent optimis & fidissimis consiliarijs.

Et veterum, &c.] impertiar tibi amplissima quæque artificum veterum manupretia, statuas ingeniosè & solerter effictas: ipsissimas inquam res aureas, argenteas, aliasque maximi pretij, non picturam quandam nudam, qualis est hæc mea chartacea.

Ipse dabo vati.] Ad decorum hoc pertinet, nō est enim alienum hoc munus à persona eius, cui nuncupatur.

Pignus amoris.] id est, *μνημόσυνον*.



Ad

Ad Illuſtriſsimum MAXIMILIANVM, Ducem Mediolanenſem: Super inſigni Ducatus Mediolani.

EMBLEMA PRIMVM.



EXILIENS infans ſinuoſi è faucibus anguis,
Eſt gentilitijs nobile ſtemma tuis.
Talia Pellæum geſſiſſe nomiſmata regem
Vidimus, hisq́ ſuum concelebraſſe genus:
Dum ſe Ammone ſatum, matrem anguis imagine luſam,
Diuini & ſobolem ſeminis eſſe docet:
Ore exit. tradunt ſic quoſdam enitier angues.
An quia ſic Pallas de capite orta Iouis?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PROPONITVR insigne Ducatus Mediolanensis id est, gẽtilitium signum Principum Mediolanensiũ In eo signo cõspicitur serpẽs cæruleus in aurea planitie infantem rubore tinctum euomens. Id schema fingit Alciatus acceptum ab Alexandro Magno, qui se Ioue Ammone natum prædicabat. Id verò ne absurdum putetur ait serpentes quosdam ore parere: & apud Poetas Mineruam Iouis è cerebro prosilijsse. Serpẽtem quidem in Hieroglyphicis pro sapientiæ symbolo vsurpari palam est Itaque hoc stemmate repræsentatur diuina progenies antiqua & illustris nobilitas è sano sapientiæ capite profecta.

Exiliens.] erumpens extra saliens.

infans.] puer anniculus, νήπιος, παιδάριον, vt fœtu ex vtero rubens.

è faucibus.] gulæ partibus interioribus.

anguis sinuosi.] serpentis in sinus & gyros complicati

Est gentilitijs n. st. t.] Schema seu stemma gẽtilitium vsurpatum à tuis gentilibus, & maioribus familiæ.

Talia nomismata.] symbola in numis, signis militaribus, in templis, locisque publicis expressa. sic enim hic accipi nomisma συνεκδοχικῶς interpretor.

Pellæum regem] Alexandrum Magnum, à Pella vrbe Macedoniæ ita vocitatum.

Vidimus.] legimus apud historicos. Rectè, vidimus verbum enim ἐμφατικὸν. sic καθ' ἱστορίαν ἰέναι, visendi vel sciendi gratia ire, vt apud Plutarch. de historia dicitur.

His.] nomismatis.

suum concelebraße genus.] publicasse suam originem de qua Plutarch. Iustin. in 12. Q. Curtius, alij multa.

Dum se Ammone, &c.] Ammon Iupiter dictus, quasi arenarius, quòd sub arietis effigie coleretur in delubro condito in arena. hoc de templo Curtius in 4. Luca. 9 bell.


bell. ciuil.

Matrem anguis imagine lusam.] Olympias Alexandri mater vel putauit, vel simulauit se à Ioue compressam sub specie draconis, ad tegendam congressus ignominiam. Id enim factum fuisse à Mago quodam impostore credibilius est, vt auctores non pœnitendi prodiderunt. Huc refero congressum Martis (id est, personati cuiusdam militis, qui Martem mentiebatur) cum Rhea Romuli & Remi matre. Quid enim huc commemorem aniles nostrorum fabulas de Melusina, deque Roberto cui cognomen Diabolo fecerunt? Non plura: nam de Succubis & Incubis aliàs.

Diuini & sobolem seminis.] Deorum non est propria generatio, sed hominum, vt rectè disputat in Numa Plutarch. vbi agit de congressu Pompilij cum Nympha Aegeria. Nam sexus in homine, argumentum est impotentiæ & imbecillitatis, quæ in Deo esse non potest, vt Lactantius docet. Sed multi illustres nothi, cum incerto patre nati essent, retulerunt suum genus ad Deos. non malè profectò, sed cautè tamen, vt Epaphus Ouidianus Phœbum pro patre agnouit, quia sol & homo generant hominem. Ipseq; Alexander apud Lucianum, dicit sibi vtile fuisse ad res præclaras gerendas, & terrendos barbaros, quòd filius Iouis crederetur.

tradunt sic quosdam enitier angues] Ore parere Amphisbęnas tradunt Plinius & Solinus: ille 8. cap. 23. hic cap. 30. Itidem de Sepijs nonnulli.

An quia sic Pallas.] quod figmentum vt vetustum, ita ingeniosum, omnes penè Græci & Romani scriptores referunt ad sapiētiam humanam, quam à Deo profectam, vt omne donum optimum ortum à supremo omnium parente, agnoscunt.



MEDIOLANVM.

EMBLEMA II.



BITVRIGIS veruex, Heduis dat ſucula ſignum:
His populis patriæ debita origo mea eſt,
Quam Mediolanum ſacram dixere puellæ
Terram: nam vetus hoc Gallica lingua ſonat.
Culta Mineruа fuit, nunc eſt vbi numine Tecla
Mutato, Matris virginis ante domum.
Laniger huic ſignum ſus eſt, animalq; biforme,
Acribus hinc ſetis, lanitio inde leni.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX duarum Galliæ vrbium, nempe Biturigum & Heduorum ſchematibus & ſymbolis publicis elicit ἔτυμον, ſeu notationem Mediolani. Bituriges n. arietem, Hedui porcum habere dicuntur Alciato. Mediolano autem

ideo tributum nomen, quia cum prima vrbis eius fundamenta iacerentur, repertus eſt ſus mediatim lanatus. Auctorem laudo D. Ambroſium, quondam oppidi huius Epiſcopum ſanctiſſimum, doctiſſimumque.

ſucula.] parua ſus, porculus.

ſignum.] publicum ſtemma.

His populis, &c.] Mediolanum à Gallis excitatũ fuiſſe tradit Liuius lib. 5.

vetus lingua Gallica.] De hac vetere Gallorum lingua memini me quædam commentatum alio loco.

Culta Minerua, &c.] Olim eo loci Mineruæ diuini honores tributi, vbi nunc templum D. Teclæ, ante ſacram diuæ Virgini ædem.



Nunquam procraſtinandum.

EMBLEMA III.



ALCIATÆ gentis inſignia ſuſtinet Alce,
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiße roganti,
Qui tot obiuiſſet tempore geſta breui?
Nunquam, inquit, differre volens. quod & indicat Alce:
Fortior hæc, dubites, ocyor an ne ſiet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

Ingenioſè nomen ſuæ familiæ deducit ab Alce fera, eius vires & pernicitatem, adducto ad id Alexandri apophthegmate, transfert ad fortitudinem & diligentiam, quæ in rebus gerendis, & ijs quidem honeſtis atque præclaris, adhibenda ſit.

Alce.]

Alce.] fera Septentrionalis, de qua Plinius in historia mundi, & Gesnerus operoso illo volumine de animalibus.

μηδὲν ἀναβαλλόμενος. nihil procrastinans, nihil differens in tempus aliud. id petitum ex Homeri scholiaste annotat Erasmus adagio, Nunc tuum ferrum in igni est.

Constat Alexandrum,] Nullam virtutem regis istius magis, quàm celeritatem laudauerim, ait Curtius lib. 5. Relictis enim pedestribus copijs, tota nocte cum equitibus itineris tanto spatio fatigatis, ad Araxem prima luce peruenit. Idem eodem lib. dum audisset regem Darium captum esse: in illo corpore posita est victoria (inquit Alexander,) & tanta res, celeritatis est pręmium. Certè natura ea rex ille fuit, vt omnia facilius, quàm moram perpeti posset.


Fortior hac, dub.] Monemur itaque, summa quæque perfici diligentia, & virium firmitate.



In Deo

In Deo lætandum.

EMBLEMA IIII.



ASPICE vt egregius puerum Iouis alite pictor
Fecerit Iliacum ſumma per aſtra vehi.
Quisne Iouem tactum puerili credat amore?
Dic, hæc Mæonius finxerit vnde ſenex.
Conſilium, mens atque Dei cui gaudia præſtant,
Creditur is ſummo raptus adeſſe Ioui.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

TRACTVM id ex Xenophontis Sympoſio, quo loco ait Ganymedẽ nõ corporis, ſed animi cauſa in cœlũ à Ioue tranſlatũ: quod ipſum nominis etymo ſignificari tradit. Nam Γανυμήδης dicitur, ὃς γάννυται μήδεσι, id eſt, qui diuinis conſilijs lætatur. Ex quo illud Homericum torquet, γάννυται δὲ τ᾽ ἀκούων, lætatur audiens

&

& alio loco, πυκινὰ φρεσὶ μήδεα εἰδὼς, edoctus animo consilia. Id refertur ad hominis contemplatorem animũ, qui relicta corporis secretione cęlestia rimatur intento mentis oculo: quod ipsum sine raptu non fit, vt obseruãt Philosophi veteres.

Egregius pictor.] peritus. πεπαιδευμένος. Pictores olim florente Græcia, non suæ artis modo, sed & rerum omnium, quæ cognitione dignæ essent, peritos fuisse constat ex Pausania & Plinio.

Fecerit.] ποιεῖσθαι Poetarum est. nam hinc ποιηταὶ dicti.

Iliacum.] Troianum. Ilios, seu Ilium, Troiæ vrbs, regia Principum Troianorum.

summa per astra.] puto alludi ad animi alas, de quibus Plato.

vehi.] Metaphora præclara, vnde vehiculum animi, contemplatio, διάνοια, θεωρία.

Quis ne Iouem, &c.] Puritatis amator Deus. & casta placent superis.

senex.] ab ætatis peritia, ab auctoritate, dignitateque.

Mæonius] Homerum dictum Mæonidem & Mæonium, sciunt omnes.

Consilium, mens atque Dei. &c.] his nomen Ganymedis respondet, μήδεα, καὶ γάννυμαι.



Sapientia

Sapientia humana, ſtultitia eſt apud Deũ.

EMBLEMA V.



QVID dicam? quonã hoc compellem nomine monſtrũ
Biforme, quod non eſt homo, nec eſt draco?
Sed ſine vir pedibus, ſummis ſine partibus anguis,
Vir anguipes dici, & homiceps anguis poteſt.
Anguem pedit homo, hominem eructauit & anguis:
Nec finis hominis eſt, initium nec eſt fera.
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis:
Sic & gigantes terra mater protulit.
Hęc vafrum ſpecies, ſed religione carentem,
Terrena tantùm quiq; curet, indicat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc monſtro notantur Athei quidã & deliri Epicu rei, qui cũ ſint anima rationis participe à Deo infor mati, relicta ſui conditione meliore, nihil niſi terram ſa-piunt,

piunt, neglecta omni religione, diuinoque cultu: quem tamen præ se ferunt, sed simulatione quadam, nimirum vt rebus terrestribus, quas auidissimè appetunt, securius fruantur. Sumptum carmen est, sed alioquidem tortum ex collectaneis Epigramm. Græcorum lib. 4. titulo, *εἰς χείρωνα ἱπποκένταυρον.*

Quid dicam, &c.] Magno vtitur verborum circuitu in monstro hoc efformando, cui ne quidem satis proprium vocabulum possit tribuere, vt quod ab omni naturæ ratione sit alienum.

Sed sine vir, &c.] homo est supernè, infernè vero serpens: nec tamen hominis aut serpentis naturam aut conformationem habet.

pedit, eructauit.] verba obscœna, ad monstri designandam obscænitatem.

Sic olim Cecrops.] Atheniensium Rex, dictus *διφυής*, hoc est, naturæ duplicis, quòd primus Atticam imbuerit idolomania, vanoq; deorum cultu, vt tradit D. Augustin. de ciuit. Dei libris.

doctis Athenis.] Athenas, locũ doctrinę fertilissimum dixit Val. Maxim. lib. 8. cap. 7. Id epithetum Athenis tributum à varijs auctoribus alio loco meminimus.

Sic & gigant.] Nomine gigantum Poetæ intelligunt impiam quandam gentem, Deos negantem, qui quia nihil superum cogitarent, ius que omne rectumque aspernarentur, ficti sunt serpentinis pedibus fuisse, Deosque cęlesti sede pellere voluisse. Macrob. cap. 20. Saturn. 1.

Hæc vafrum species.] Arguuntur itaque hac pictura vafri quidam & veteratores *ἄθεοι*, de hac tantum vita solliciti, religionis expertes, quam tamen cum sapientia inseparabili nexu coniunctam esse vult eloquentissimus veterum Christianæ religionis assertorum Lactantius. Itaque sapientia hominum diuini cultus expertium, mera stultitia censenda est. Sic enim Dei vates Esaias: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.

Ficta

Ficta Religio.

EMBLEMA VI.



REGALI residens meretrix pulcherrima sella,
Purpureo insignem gestat honore peplum:
Omnibus & latices pleno è cratere propinat:
At circum cubitans ebria turba iacet.
Sic Babylona notant: quę gentes illice forma,
Et ficta stolidas relligione capit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX D. Ioannis Apocalypsi ducta est hæc fictæ religionis ἀνδριαντογραφία: ex qua colligimus in statu religionis iã olim fuisse, multosq; adhuc esse, qui suis pręstigijs, falsaque doctrina imperitos inescant, errorisque poculo ijs imponunt: quo tanquam ebrij facti, mentisque impotes, à subdola capti meretrice, purissimos diuinæ sapientiæ fontes aspernantur, adeoque insanientes, seque & alios

alios miserrimè in præcipitium conjiciunt.

meretrix pulcherrima.] In sacris litteris nō semel comparatur ementita religio cum meretrice, vt Babylon meretrix non rarò: & Ezechiel Leænam, id est, meretricem Hierosolymam nominat. Contra, vera religio cum virgine confertur à D. Paulo, vni viro virginem castam exhibere Christo.

regali sella.] regio apparatu signum alioqui alienum à simplici & modesto cultu Christiani gregis.

Omnibus & latices.] Errorem tectum in multos, id est, quoscunque obuios diffundit, & propagat.

At circum cubitans.] Nullum venenum præsentius erronea opinione, quæ vbi mentem occupauit, hominis animum tanquam aliquo Circęo poculo ita immutat, vt se omnino nesciat.

ebria turba iacet.] Is enim error, eaque pestifera hæresis non potest insinuari homini sine aperto animi delirio. Atqui expertes rationis, adeoque dementes mouentur rebus externis, principatu, auctoritate, imperio, dignitate, & cæteris eiusmodi. Is ergo est mentis gratissimus error, quem sibi adimi nolunt incauti, vt quem non putent errorem esse.

Sic Babylona notant.] Qui notant? nempe viri sagaces, vereque pij.

illice forma.] illicio & obtentu pietatis: aliàs enim non caperet. sic enim ferè decipimur specie recti.

Et ficta.] non omnino falsa, sed ficta duntaxat. Quæ enim prorsus falsa sunt, vt veris opposita, quia sese produnt, non tam facilè possunt, imponere, proindeque vitantur: ficta verò, vt quæ habeant aliquid simile vero, etiam cautos decipiunt.

capit.] decipit. hinc artes captatoriæ.



Non tibi sed Religioni.

EMBLEMA VII.



ISIDIS effigiem tardus gestabat asellus,
Pando verenda dorso habens mysteria.
Obuius ergo Deam quisquis reuerenter adorat,
Piasq; genibus concipit flexis preces.
Ast asinus tantum præstari credit honorem
Sibi, & intumescit, admodum superbiens:
Donec eum flagris compescens, dixit agaso,
Non es Deus tu, aselle, sed Deum vehis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVCTVM id ex Gabriæ apologis, de asino sibi multũ arrogante, quòd gestanti sibi Dei cuiusdam simulacrũ, putaret honorẽ impartiri. vnde fuste dolatus ab agasone, audit. *Non es tu Deus, ò aselle, sed Deum fers.* Notã-

tur

tur magiſtratus ciuiles, vel etiam Eccleſiaſtici, qui affectent eum honorem, qui ſuo Principi, aut etiam Deo debetur. Nullus eſt certè, quin libere fateatur honorem eſſe impendendum ijs, qui ſacris pręſunt, quique Reip. pręficiuntur: ſed tamen eos excedere non debent, ne veniant in reprehenſionem, vt aſelus iſte ἄγων μυςήρια.

Iſidis.] Apud Aegyptios culta Iſis, Io primùm dicta. Magnaque Dea. Hic torquetur ad ſummum magiſtratum, vel etiam ſacerdotium.

tardus aſellus.] Rectè, & ad veritatem appoſitè. ſic enim non rarò videmus eos præfici magnis & honorificis functionibus, vt etiam ſacerdotijs, qui ſunt omnium tardiſſimi & imperitiſſimi.

Pando veren.] Prou. ὄνος ἄγων μυςήρια.

Obuius ergo, &c.] Honos certè debetur magiſtratui, eſt.n. munus publicum: ſed magiſtratus virum arguit, ſeq; gerere debet, nõ modò ei vt licet, ſed etiã vt decet.

agaſo.] Ea eſt ratio & mens domina, quæ flectit habenas, ducitque, cum eſt opus.



Quà Dij vocant, eundum.

EMBLEMA VIII.



IN triuio mons eſt lapidum: ſupereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij eſt igitur tumulus. ſuſpende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monſtret iter.
Omnes in triuio ſumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SEQVENDVM id eſt vitę genus, ad quod nos Deus & natura vocat. quod olim ſignificauit apud Paganos Mercurius vię ductor, qui triuijs poſitus viã cuiq; monſtrabat. Docemur etiam hoc emblemate, nihil nos, quodcunque vitæ genus eligamus, poſſe proficere, niſi Doctorem aliquem probum, doctumque, ad imitãdum

nobis

nobis proponamus, qui ſit inſtar cuiuſdam Ερμῦ ἐνοδίυ καὶ ἡγεμονίυ.

In triuio] Ij dicũtur verſari in triuio, qui in deliberando de re aliqua ſunt ſuſpenſi & anxij. Vide prouerb.

mons est lapidum] Non perperam id accipi licet pro ærumnis & difficultatibus, quæ in vitæ genere deligendo cuiuis occurrunt.

Trunca Dei effigies] monet, monſtratq; viæ flexus ipſe immotus Mercurius: quia ſatis eſt admoneri à doctore, qui ipſe viam ſæpius non ingrediatur.

pectore facta tenus] quia nihil præter conſilium exigitur à præceptore, tu ipſe præſta opere, quod moneat.

viator] in ipſo ingreſſu ad ſtudium.

ſuſpende viator ſerta Deo] docilem te & amabilem pręſta: perſolue δίδακτρον & honorarium tuo doctori. quid enim? ridendo dicere verum nihil vetat.

rectum qui tibi monſtret iter] τὴν ὀρθὴν ὁδὸν, ὁδοποιίαν, qui ſit tibi ἐνόδιος, quod epitheton tributum olim Mercurio. Vel rectum iter ad μέτοδον refero, quæ nomen habet ab ὁδῦ. i. via, eſtque nihil aliud quàm recta via, & ratio ſeu inſtitutio rectè docendi.

Omnes in triuio] In nobis nihil eſt conſilij, nihil iudicij. opus itaque habemus aliquo ductore Mercurio, ſeu Philoſophiam attingamus, ſeu artem Medicam, ſeu prudentiam Iuris, aut etiam Theologiam. Nam ſcholę Philoſophorum ſunt pleræ ſpinoſis argutijs. Medicina in multis fallax eſt, ipſaq; τέχνη μακρὴ, καὶ πεῖρα σφαλερὴ. Perpetua eſt inter Iuriſconſultos altercandi alea. Denique, Theologia ea, quę in ſcholis vẽtilatur, plena eſt ſalebris, ad quas diſcutiendas opus eſt magiſtro quodam perito & ſincero.

oſtendat ni Deus] ni ſit ὁδοποιός.



Fidei Symbolum.

EMBLEMA IX.



STET depictus HONOS *tyrio velatus amictu,*
Eiusq; iungat nuda dextram Veritas.
Sitq; AMOR *in medio castus, cui tempora circum*
Rosa it, Diones pulchrior Cupidine.
Constituunt hæc signa Fidem, Reuerentia Honoris
Quam foues, alit Amor, parturitq; Veritas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID sumptum ex vetere Sabinorum statua, qua numen vnum triplici facie, nomineq; triplici effingebatur Dextra virilis, habitu pacifico: sinistra muliebris, eodem habitu, coronam lauream gestans in capite, quæ dextram iungat cum imagine priore: in quarum medio effigies in genui pueri spectabatur, cuius supra caput scriptum e-

rat,

rat, FIDII SIMVLACRVM: apud imaginem dextram virilem, HONOR: sinistram muliebrem, VERITAS. Quidam volunt hoc simulacro designatam fuisse sacrosanctam τριάδα, numen vnum tribus in personis, vti piè verèq; credimus. Sed malumus tamen ad sensum communem id symbolum conuertere, vt dicamus fidem veritate, honore, & amore creari conseruarique, veritatem quidem matrem habet, nudam & simplicem, non comptam aliquo fuco, neque velo tectam: Honorem, vt sit stabilis, firmique pacti pignus: eum verò indutum veste purpurea, vt reuerenter & cum dignitate seruetur fides. Locum medium Amor tenet. vt adhibeatur aliquod tanquam amicitiæ condimentum.

Stet depictus Honos.] in tabula depictus proponatur stans. Rectè vero stare fingitur, non sedere, aut desidere, quia nunquam honos debet esse ociosus, aut deses.

Tyrio velatus amictu.] purpura indutus. In signum honoris & dignitatis Rømanos Patricios, non etiam cęteros fuisse vsos purpura, testis est Plinius 9. c. 36. quod tamen abijsse in desuetudinem queritur Iuuenalis in 3. Satyra.

eius.] honoris.

iungat dextram.] de dextrarum coniunctione aliquid postea.

nuda Veritas.] simplex & aperta nullo tincta fuco. sic nominatur ab Horatio 1. Carmin.

Sitq; Amor in medio.] i. μεσίτης, conciliator pacificator.

cui tempora circum, &c.] De hoc amore pudico, qui ἀντέρως, in sequentibus, vt Emblemate, cuius epigraphe, *Amor virtutis.*

Constituunt hęc signa fidem.] his tribus constituuntur tres efficientes causæ fidei, *Veritas*, mater: *Amor*, nutricius pater, seu conciliator: *Honos*, qui tanquam fouet & sustentat.



Fœdera.

Ad Maximilian. Mediolan. Ducem.

EMBLEMA X.



HANC citharã, à lembi quæ forma halieutica fertur,
Vendicat & propriam Musa Latina sibi,
Accipe Dux: placeat nostrum hoc tibi tempore munus,
Quo noua cum socijs fœdera inire paras.
Difficile est, nisi docto homini tot tendere chordas:
Vnaq; si fuerit non bene tenta fides,
Rupta ve (quod facile est) perit omnis gratia conchæ,
Illeq; precellens cantus, ineptus erit.
Sic Itali coeunt proceres in fœdera: concors
Nil est quod timeas, si tibi constet amor:
At si aliquis desciscat (vti plerunque videmus)
In nihilum illa omnis soluitur harmonia.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PRINCIPI suo fœdus aliqđ cũ socijs & vicinis Principibus inire cõstituenti ostẽdit, quãta sit concordiæ vis, sumpta comparatione à lyræ temperato aut confuso concentu. Ea enim constans ex summis, medijs & infimis chordis, concinnam reddit harmoniam, si tamen eam vir peritus artis aptarit. Eodẽ modo Respublica omnis ex diuersis hominum conflata generibus & ordine dissimili, concordi pace ligatur, si Principem nacta fuerit, qui & consilio & rerum vsu valeat, quiq; beneuolentiã suorum, assensum, & cõmune pacis vinculum fouere norit.

Hanc citharam.] quæ lembi formam habet, nauiculæ celerrimæ: ea se habet in modum piscatoriæ nauis.

Vendicat & propriam.] An quia Lutina est Italis vsitatissima? Eius inuentionem tamen plerique referunt ad Mercurium.

Accipe Dux.] ausculta quid hoc symbolo velim.

placeat nostrum munus] monitum, consilium.

Difficile est nisi docto.] immo difficilius est imperito Principi, tenere imperium, totque hominum formis moderari. Persius ideo Satyr. 4. Neronem increpat: & prouerb. Aliud sceptrum, aliud plectrum.

Vnaq; si fuerit non bene tenta fides.] nisi coerceantur improbi & scelerati. id enim omne ἀλληγορικῶς accipiendum.

Rupta ve, quod facile est.] si intereat, aut etiam tollatur de medio aliquis patriæ necessarius ciuis.

perit omnis gratia conchæ.] Reipub. modus & pulchritudo abit in nihilum.

concors nil est quod timeas.] si tibi stet cũ socijs cõcordia, cumq; subditis, nihil planè metuendũ. Claudianus.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Vt tutatur amor.

At si aliquid desciscat.] Deficiat, se desertorem præbeat. Est ergo necessaria Principi omnium & singulorum beneuolentia, vt ametur, ametque.

Silentium.

EMBLEMA XI.



CVM tacet, haud quicquam differt sapientibus amens
Stultitiæ est index linguaq; voxq; sua.
Ergo premat labias, digitoq; silentia signet,
Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID expressum ex Greco Palladę epigrammate, quo significat omnem hominē vel imperitum, pro sapientissimo haberi, quandiu linguam tenere potuerit: eum enim tacendo, morbum affectumque sanè turpissimum tegere. Sic enim ferè nunquam distinguitur indoctus à scienti, peritoque, à circumspecto & prudenti homine imprudens. Notum adagium vetus: Tutum silentij pręmium, & illud Simonidis: Locutum fuisse pęnituit sępe, tacuisse

tacuisse nunquam.

Cum tacet, haud quicquam.] Nullum videtur inter sapientem doctum ve, & insipientem vel doctum discrimen, si vterque tacuerit.

amens.] ἄνους pro stulto vel nugatore, seu abderologo, vt nominatur id hominum genus in prouerbio vetere.

Stultitia est index.] Seneca ad Serenum, cap. 11. Vt quisque contemptissimus, & vt maximè ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est.

Ergo premat labias.] tacendi artem modumq́; teneat. Labias hic in fęminino, vt apud Gellium, Macrobium, Apuleium, Nonium.

digitoq́; silentia signet.] Ouid. 9. Metamorph.

Quiq́; premit vocem, digitoq́; silentia suadet.

Ausonius Paullino.

Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet.

Et sese Pharium.] Harpocrates silentij numen, de quo Plutarch. Disputatione de Iside. Talis Romę Angerona, cuius effigies ore fuit obsignato.



Non

Non vulganda consilia.

EMBLEMA XII.



LIMINE quod cæco, obscura & caligine monstrum
Gnosiacis clausit Dædalus in latebris,
Depictum Romana phalanx in prælia gestat,
Semiuiroq; nitent signa superba boue:
Nosq; monent, debere Ducum secreta latere
Consilia: auctori cognita techna nocet,

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SCRIBIT Festus Pompeius, Minotauri effigiẽ inte signa militaria Romanis ideo fuisse, quòd non minu occulta esse debeant consilia Principũ, quàm fuerit olim domicilium Minotauri Labyrinthus: idque vel maxim in bellicis expeditionibus debet obseruari. Vt enim pe multum habet momenti ad victoriam taciturnitas, ita

pe

pe ingentes affert calamitates linguæ intemperantia.

Limine quod cæco.] Descriptio Labyrinthi per periphrasim. Vide Plin. 36. c. 13.

monstrum.] Minotaurum, de quo Virgil. 6. Ouid. 8. Metamorph. Hyginus, Palęphat.

Gnosiacis latebris.] in clauso & obscuro carcere Labyrinthi Cretensis. Gnosos, vrbs Cretæ, regia Minois.

Dædalus.] faber ingeniosissimus: de quo Plin. 7. c. 56.

Romana phalanx.] Romani bellatores. Phalanx cuneus & acies militaris: vox Macedonum. Q. Curtius 3. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit.

Semiviroq; nitent.] Ad illud alludit Ouidian. 2. Artis:

Semibouemq; virum, semivirumq; bouem.

signa superba.] conspicua in altum erecta.

auctori cognita techna nocet.] Consilium Principis de re dubia vel periculosa si detegatur ante tempus, nocet ei, qui detexerit.



Nec

Nec quæstioni quidem cedendum.

EMBLEMA XIII.



CECROPIA effictam quam cernis in arce Leęnam
Harmodij (an nescis hospes?) amica fuit.
Sic animum placuit monstrare viraginis acrem
More feræ, nomen vel quia tale tulit.
Quòd fidibus contorta, suo non prodidit vllum
Indicio, elinguem reddidit Iphicrates.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PATIENTIA plus quàm virilis, summaq; cruc tuũ perpessio in muliercula, fidem tenacẽ & consta tẽ arguit. Ea Leęna fuit, scortũ Harmodij & Aristogito nis, nobilium adolescentum, qui cum adorti essent tyra nos de medio tollere, idq; consilium successu caruisset capta Leæna, & torta fidiculis, vt consilia iuuenum pre deret,

leret, tenax propositi mulier, nihil patefecit, tandemque
nedi js in tormentis animam exhalauit. Itaque Athenien
es, vt facti memoria perduraret ad posteros, non tan-
quam scorto, statuam erexerunt sub effigie Leęnæ elin-
guis. Leęnæ quidem, vel vt id animal haberetur pro for-
itudinis symbolo: vel vt indicaretur Leęnæ nomen. Elin
gnis verò, quia consilium iuuenum etiam ad extremum
orta non prodidisset. Historiam referunt Pausanias, Athe
æus, Plinius, Gellius alij.

Cecropia in arce.] in acropoli Athenarum.
effictam.] expressam ære statuam.
hospes.] spectator, si fortè ignoratione rerum Attica-
um labores.
amica fuit.] ἑταῖρα, seu meretrix.
Harmodij.] & Aristogitonis, nobilium iuuenum.
placuit.] verbum Iuris, quo populiscitum intelligit.
animum ac rem.] μεγαλοψυχίην θυμόν.
viraginis.] fortis & interritæ, quæ virili animo fuit.
More feræ.] Leęnæ, quę pro symbolo fortitudinis & in
icti animi vsurpatur.
nomen vel quia.] quòd mulieri huic Leænæ nomen
uisset.
Quod fidib.] fidiculis ad mortem vsque torta.
suo non prodidit.] neminem prodidit ex socijs con iu
ationis.
Iphicrates.] de quo Plin. 34. c. 8.



Consi-

Consilio & virtute Chimæram superari: hoc est, fortiores & deceptores.

EMBLEMA XIV.



BELLEROPHON, ut fortis eques, superare Chimæram
Et Lycij potuit sternere monstra soli:
Sic tu Pegaseis vectus petis æthera pennis,
Consilioq; animi monstra superba domas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NVLLA est adeò magna & versuta calliditas, nulla insidiosa vis, nullæq; præstigiæ, quas non possit animi magnitudo, prudensq; consiliũ sollerter effugere. Quanquam enim nobis sit interdum concertandum cum fortioribus, & fraudulentis, non est tamen abijciendus animus, sed assumenda potius firma quædam animi constantis, saniq́ue iudicij panoplia. Id ostendit

Belle-

Bellerophontis historia, qui multis periculis expositus, euasit incolumis, equo Pegaso vectus, vt traditur à veteribus.

Bellerophon.] sapiens, beneque consultus, quique sit βυληφόρος, vel τὰ βέλλερα φονῶν.

fortis eques.] animi magni.

Chimæram.] fallaciam dubiam, fraudem, quanquam variam & fortiorem.

sternere.] deuincere, vt apud Horat. 2. Satyr. *strauit ferro pecus.*

monstra soli Lycij.] Homines improbos, maleficos, fraudulentos. Lycij, à nomine λύκες, lupus, hinc adag. Homo homini lupus.

Pegaseis pennis.] virtutis & ingenij alis, animi dexteritate.

petis æthera.] famam nominis immortalem consequeris.

Consilioq; animi.] cui respondet nomen Bellerophontis, vt dixi.



Vigi-

Vigilantia, & Cuſtodia.

EMBLEMA XV.



INSTANTIS quòd ſigna canens det gallus Eoi,
Et reuocet famulas ad noua penſa manus:
Turribus in ſacris effingitur ærea peluis,
Ad ſuperos mentem quòd reuocet vigilem.
Eſt leo, ſed cuſtos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcircò ponitur ante fores.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVOBVS ſymbolis, quibus ex vetere Chriſtiano patrũ inſtituto, ædes ſacræ ingſiniri ſolent, Ga nēpe in apice ſummo turris, & Leone pro, tēpli forib repręſentatur duplex boni paſtoris & Epiſcopi officiu vigilantia & cuſtodia. Rectè D. Gregorius: Quiſquis p puli ſpeculator ponitur, debet in alto ſtare per vitam prodeſſe poſſit per prouidentiam.

Inſtan-

Instantis quòd.] id temporis appellatur Gallicinium, vt Galli cantus ab Horatio.

Eos instantis.] diei redeuntis, quem videtur aperire Eos ἠῶς.i. aurora solis prænuntia.

Et reuocet.] homines ad laborem vocet.

manus famulas.] id est, manuarios artifices, hi sunt βάναυσοι mechanici, seruiles.

area peluis.] tintinnabulum, seu nola: de cuius inuentione Polidor. 6. c. 13.

leo, custos oculis.] Orus Apollo testis est. Et Leonem quidem παρὰ τοῦ λάω deductum volunt, hoc est à videndo.



Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

EMBLEMA XVI.



NE credas, ne (Epicharmus ait) non ſobrius eſto:
Hi nerui humanę membraq; mentis erunt.
Ecce oculata manus, credens id, quod videt: ecce
Pulegium antiquæ ſobrietatis olus:
Quo turbam oſtenſo ſedauerit Heraclitus,
Mulſerit & tumida ſeditione grauem.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVCTVM id è dicto Epicharmi, quo duo præcep-ta in primis ad vitã neceſſaria tradebat; vnũ de am-plexanda ſobrietate, alterũ de vitanda credulitate. Sobri-tas, ſeu tẽperantia eſt vitę cuſtos, mater valetudinis, ſap-tię comes, pacis amica: cui ſymbolum meritò tribuitu pulegium, exiguum olus, & paratu facile. Credulitas i dicium

dicium impedit, mentemque à sua sede & statu dimouet. Eam qui admittit, sæpe sibi alijsque certum exitium arcessit: quod exemplis innumerabilibus ostendi potest. Symbolum est oculata manus, quo ostenditur non esse credendum alicui, nisi optimè perspecta & cognita hominum fide.

Ne credas.] temerè, vel adeò facilè.

ne non sobrius esto.] esto sobrius.

nerui membraq;] ἄρθρα, νεῦρα, τὰ μέρη. quod dicitur per translationem.

Ecce] demonstrandi nota rectè cum oculata manu, quæ credit id, quod videt. Huc pertinet præclarus sermo Dionis Chrysostomi περὶ ἀπιστίας: & illud Theocriti.

μὴ πίστευε τάχιστα, πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψῃ.

pulegium.] herba quædam minima, de qua Plin. 20. cap. 14.

antiquæ sobrietatis olus.] qua veteres, homines frugi, & rerum parabilium appetentes vtebantur.

Quo ostenso.] pulegio.

turbam graui tumidam seditione.] populum tumultuantem, iamque ad seditionem se comparantem.

Heraclitus.] vt est apud Plutarch. De garrulitate.



Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

EMBLEMA XVII.



ITALICÆ Samius sectæ celeberrimus auctor
Ipse suum clausit carmine dogma breui:
Quò pretergressus? quid agis? quid omittis agendum?
Hanc rationem vrgens reddere quemque sibi.
Quod didicisse Gruum volitantum ex agmine fertur,
Arreptum gestant quæ pedibus lapidem:
Ne cessent, neu transuersas mala flamina raptent.
Qua ratione, hominum vita regenda fuit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

LAERTIVS & Suidas scribunt Pythagoram præcepisse, suos auditores domum repetentes, hunc versiculum pronuntiare.

Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Nam

Nam omnis humanæ vitę lapſus in tribus potiſſimum cernitur, aut cum tranſgredimur, id eſt, ſecus facimus quàm oportet, quod eſt plus quàm decet: aut quod omiſſum oportuit, neq; ſatis conſideratè fecimus: aut omittimus, quod erat faciendum. Id volatu gruum didicit Pythagoras, quæ dum volant in ſublime, lapillum geſtāt æqualem viribus, & iuſto libratum pondere: vt ne nihil tollant, ne nimium efferant ſeſe, neve aduerſis ventis abripiantur.

Italica Samius.] Pythagoras, auctor Philoſophorum Italicorum. Cic. Laert. D. Auguſt. de ciuit. Dei.

Samius.] oriundus ex inſula Samo.

Ipſe ſuum clauſit.] ſapientiæ ſuę vim omnem, aut certè pręcipuam vno hoc carmine comprehendit.

Quò prætergreſſus?] quò tranſgreſſus? aut vltra quàm decuit, feciſti? quod eſt, NIMIS.

quid agis?] vel quid agebas? ſic .n. Gręce, τί δ' ἔρεξα; qui lapſus eſt in eo, quod PARVM.

quid omittis agendum?] quid non decens à te factum eſt? quod eſt in omiſſo bono.

Hanc rationem vrgens.] Volebat quiſque ſibi apud ſe rationem hanc redderet. Idem penè de Seſtio Seneca lib. 3. De ira. 36. c.

Quod didiciſſe gruum.] Grues nempe in volatu id docuerunt Pythagoram. Et huc fortè pertinet verbum Gruere, ſiue Congruere, à Gruibus ductum, quod ſignificat conuenire. Grues enim ſe non ſegregant, ſiue cum volant, ſiue cum paſcuntur, ait Feſtus.

mala flamina.] venti oppoſiti & impetuoſi.



Prudentes.

EMBLEMA XVIII.



IANE bifrons, qui iam transacta futuraq; calles,
Quiq; retro sannas, sicut & ante, vides:
Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? an quòd
Circumspectum hominem forma fuisse docet?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

IANVM bifrontem finxit antiquitas, quòd ferinum & syluestrem cultum mutarit in ciuilem: vel quòd pater Grecę & Latinæ gentis fuerit: aut quòd Solem, seu Ianum, cęlestis aulæ ianitorem crederent. Quod tamen permulti referunt ad sapientiam prudentiamq; optimi principis Iani, qui preterita nosset, & futuris multò ante prospiceret.

transacta futuraq; calles.] res pręteritas & futuras ęquè perspectas habes.

Quiq;

Quiq; retrò sannas.] irrisiones. Persius:

——postica occurrite sanna. Idem:

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit.

Te tot cur oculis.] Inuenio & Ianum non modò bicipitem, sed tripicitem & quadricipitem effictum olim.

Prudens magis quàm loquax.

EMBLEMA XIX.



NOCTVA Cecropijs insignia præstat Athenis,
Inter aues sani noctua consilij.
Armifera meritò obsequijs sacrata Mineruæ,
Garrula quo cornix cesserat antè loco.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NOCTVA Mineruę sacra, insigne Atheniensium fuit, vel propter oculos cęsios, quibus qui prediti

ſunt, prçſtantioris & acutioris ingenij feruntur eſſe; vel propter lucubrandi & contemplandi munus, quòd animi vis dicatur nocturni potiſſimùm temporis ſilentio vegetari. Sed & tertia cauſſa redditur, quòd noctuarum nuſquam multitudo maior eſſet quàm Athenis aut ob nummum, in quo eſſet impreſſa imago noctuæ. Ea itaque Athenis, id eſt, emporio diſciplinarum toto orbe notiſſimo, & vrbe optimis inſtituta legibus, ſymbolum fuit, vt ſignificaretur prudens maturumque cõſilium, & recta ciuitatis inſtitutio, in qua inepta hominum loquacitas nullo haberetur in numero.

Cecropijs Athenis.] à Cecrope rege ita dictis. Hinc Cecropidæ Athenienſes.

Inter aues ſani.] quæ pro ſymbolo conſilij habeatur.

Armifera Minerua.] Ouid. Faſt. 6.

Creditur armiferę ſignum caleſte Minerua.

Garrula quo cornix.] Teſtis Ouid. 2. Metamorph. & perſpicuè Aelianus de animalib. 3. c. 9.



Matu-

Maturandum.

EMBLEMA XX.



MATVRARE iubent properè, & cunctarier omnes
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum:
Hæc tarda eſt, volitant ſpicula miſſa manu.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

IN rebus arduis, & quibus neglectis aliquid periculi eſſe poteſt, cauendum eſt à nimia celeritate, nimiave mora. Videndum enim maximè, vt maturè non modò rem, quam ſumus aggreſſuri, ſuſcipiamus, ſed & ſuſceptam maturè perſequamur: ne in capiendo conſilio imprudentia vel error committatur, aut in mora periculum. Id oſtenditur ſymbolis duobus inter ſe iunctis. Telo, & Remora: quod expreſſit Cæſar Auguſtus, cum diceret,

ceret, σπεῦδε βραδέως, quo monebat, vt ad rem agen dam simul adhiberetur & industriæ celeritas, & tardita diligentiæ: ex quibus contrarijs simul iunctis fit ea qua dicitur maturitas. Sueton. & Gellius.

Maturare properè.] accelerare, seu properare opportu nè prouideque

cunctarier.] tardare.

omnes.] sapientes, auctores optimi.

Ne nimium præceps.] ne sis nimium festinus & subitu ad aliquid aggrediendum.

connexum echeneide telum.] Remoræ adiunctum te lum. de Remora, in sequentibus.



In de-

In deprehensum.

EMBLEMA XXI.



IAMDVDVM quacunq; fugis, te persequor: at nunc
Cassibus in nostris denique captus ades.
Amplius haud poteris vires eludere nostras:
Ficulno anguillam strinximus in folio.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID susceptum apparet in fugacem quendam, deprehensum, lubricæque fidei hominem, qui cum vel dolis, vel prestigijs sæpius imposuerit, tandem arctissimis vinculis irretitus ita comprimitur, vt effugij viam omnem præclusam habeat. Ducta hic similitudo ab anguillæ natura, quæ quia sit lubrica, facilè teneri nequit, nisi folio fici scabro & aspero.

Cassibus in nostris.] retibus, vinculis. Ouid.

Decidit

Decidit in caßes præda petita meos.

vires eludere nostras.] me, cum risu, effugere, euadere astu mihi imponere.

Ficulno anguillam.] Prouerb. folio ficulno anguillã

Custodiendas Virgines.

EMBLEMA XXII.



VERA hæc effigies innuptæ est Palladis: eius
Hic Draco, qui dominæ constitit ante pedes.
Cur Diuæ comes hoc animal? custodia rerum
Huic data: sic lucos, sacraq́ templa colit.
Innuptas opus est cura asseruare puellas
Peruigili. laqueos vndique tendit amor.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PHIDIAS clarissimi nominis statuarius Palladi simulacro draconem peruigilem apposuit, quem pe

dibus

dibus dea premeret. quo significabat Virgines & puellas (fuit enim Pallas Virginitatis numen) peruigili cura studioque seruandas. Vbique enim & vndique amor grassatur: & eo sexu nihil imbecillius aut fragilius.

innuptæ Palladis.]. i. Virginis, παρθένε, Græcis per excellentiam nominatæ.

eius hic Draco] cuius nomen à δρακεῖν, quod est videre: clarissimam enim dicitur habere oculorum aciem, summeque perspicacem.

dominæ.] Palladis.

custodia rerum huic data.] quia sunt acutissimi visus dracones, incubantes eos thesauris custodiæ caussa finxerunt veteres, ait Festus Pompeius.

sic lucos, sacraq́ templa colit.] sic in lucis & delubris colitur, eo nempe habitu. testis Pausanias Atticis.

Innuptas opus est.] Stobæus cap. 73. ex nescio quo poeta citat hoc:

ἐκ ἔςιν ὔτε τεῖχος, ὔτε χρήματα,
ἐδ' ἄλλο δυσφύλακτον ἐδὲν ὡς γυνή

Non est vel murus, vel pecuniæ aceruus, vel aliud quicquam, quod tam difficulter asseruari possit, quàm mulier. Ita Plautus Epidico.

—— doctè & sapienter dicis: non
Nimis potest pudicitiam quisquam suæ seruare filiæ.



Vino

Vino prudentiam augeri.

EMBLEMA XXIII.



HÆC Bacchus pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent, ſoboles vtraque vera Iouis.
Hæc caput, ille femur ſoluit: huic vſus oliui
Debitus, inuenit primus at ille merum.
Iunguntur meritò: quòd ſi qui abſtemius odit
Vina, Deæ nullum ſentiet auxilium.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVCTVM id ex 4. Anthologiæ Græcorum Epigrammaton, de Baccho & Pallade, ſimul in eadem ara iunctis: quo ſignificabatur, prudentiæ fieri acceſſionem, vbi vini generoſi, ſed moderati vſus accederet. Vinũ enim eſt promptum liberè loquendi calcar: cui non temerè facundiam & inuentionem veteres tribuerant.

Bacchus pater.] almus Deus, cuius munere alimur & reficimur.

communiter ambo templa tenēt.] vt ſint συνναοὶ θεοὶ, vel σύμβωμοι, vt Ceres & Neptunus, Hercules cum Muſis, Mercurius & Venus. qua de re nos pluribus alio loco.

ſoboles vtraque Iouis.] quod ἀλληγορικῶς accipio. Duo enim prĕſtantiſſima nobis à Deo ſunt elargita munera, vnum animi, prudentia nempe, quæ nomine Palladis figuratur: alterum valet ad vires reficiendas corporis, vinum ſcilicet.

Hæc caput.] Minerua è capite Iouis nata, vt 1. Embl. dictum.

ille femur ſoluit.] vt dicetur ſequenti, in Bacchi ſtatuam.

huic vſus oliui.] Olea ſeu oliua Mineruę tribuitur. Ratio non vna redditur à ſcholiaſtis. Virg 1. Georgic.

—— *oleæq; Mineruæ.* *Inuentrix.*

inuenit primus at ille merum.] Plin. 7. c. 56.

quod ſi qui.]. i. ſi quis.

abſtemius.] alienus à temeto. i. vino. Temetum, quòd attentet mentem, ait Nonius. vbi hoc citat è 3. de Repub Ciceronis: Magnam habet vim diſciplina verecundiæ, carent temeto omnes mulieres.



Pru-

Prudentes vino abſtinent.

EMBLEMA XXIV.



QVID me vexatis, rami? ſum Palladis arbor.
Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMITVR id è Græco incerti diſticho. Prudentis eſt vino vti moderatè: ſecus enim ſumptum rationi obturbat, animi vigorem impedit, vt meritò ceſſerit in prouerbium. *Sapientiam vino obumbrari*, ait Plinius. Capitale olim Romanis mulieribus fuit vinum attingere. Egnatius Metellus vxorem interfecit, quòd vinum bibiſſet, ait Val. Maxim. Et Polybius, fieri non poſſe, vt quę mulier vinum biberit, lateat. Sic Ouid. 3. de Arte:

Turpe iacens mulier multo madefacta Lyęo,
Digna eſt concubitus quoslibet illa pati.

Quid

Quid me vexatis.] premitis.

rami.] palmites, pampini.

sum Palladis arbor.] olea Mineruæ sacra. Plin. 12. c. 1. & 17. c. 44.

botros.] gemmas, vuas.

virgo fugit Bromium.] puella verecunda & pudica procul est ab omni temulentia.

Bromium] quod vnum est ex Bacchi cognominibus, à βροντῇ, fremitu. Ouid.

——*Bacchumq́ vocans, Bromiumq́ Lyaum.*



In ſtatuam Bacchi.

DIALOGISMVS.

EMBLEMA XXV.



BACCHE pater, quis te mortali lumine nouit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnoſſida vidit,
Atque illo pinxit tempore, qualis eram.
Cur iuuenis, teneraq́ etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cùm ſuperare ſenem?
Muneribus quandoque meis ſi parcere diſces,
Iunior, & forti pectore ſemper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua deſunt:
Quos niſi dementeis talia ſigna decent?
Hoc doceo, noſtro quòd abuſus munere ſumit
Cornua, & inſanus mollia ſiſtra quatit.
Quid vult ille color membris penè igneus? omen
Abſit, an humanis vreris ipſe focis?

Cùm

Cùm Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Igniuomo, infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardenti torret ab igne iecur.
Sed nunc me doceas, quì vis miscerier? & qua
Te sanus tutum prendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
Vltrà, alacer, sed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimium, sunt pendula guttura, dulcè
Tu fluis, heu facilè commoda nulla cadunt?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVo complectitur hac descriptione: primùm incommoda vini aperit: deinde salubrem & vtilem eius vsum docet. Bacchus quidem iuuenis effingitur, quòd vino hilares homines fiant, ijdemque annos quasi iuueniles seruent, si sobriè vtantur eo Dei munere. Tympanum & cornua eidem Baccho tribuuntur, ad strepitum & furorem indicandum, qui vinolentiam consequi soleat. Igneus est seu rubeus, ad vini naturam designandam, quod nisi aqua misceatur, non secus atque ignis præcordia adurit, ebrietatem & furorem inducit. Itaque ad extremum, quot quibusve vini sit vtendum mensuris præcipit.

qui te mortali. l.] quis te aliquando hominum vidit, cum sis Deus?

Et docta effinxit] quis te pictor aut statuarius arte sua expressit?

Praxiteles.] de quo Plin. 34.8.

rapientem Gnossida.] cum raperem Ariadnem in litore Naxo dormientem.

Cur iuuenis.] Tenella menti lanugo arguit te esse iuniorem, cum sis ætate superior Nestore.

queas Pylium.] Senex Pylius, Neſtor. Ouid. Epiſt. Heroid.

Nos Pylon antiqui Neleia Neſtoris arua.
Miſimus: incerta eſt fama remiſſa Pylo.

Sed cur Neſtore annoſior Bacchus? an vt apud Lucianum. Cupido dicitur Ιαπέτε ἀρχαιότερος?

Muneribus ſi quando.] ſi ſobriè vino vſus fueris: nam hic parcere, eſt φείδειν, non omnino νήφειν.

Iunior &], duo præſtat vini vſus moderatus, floridam ętatem, & vires corporis.

Tympana non. m.] habes manibus tympanum, & in fronte cornua: quæ ſigna videri poſſunt inſaniæ.

abuſus munere ſumit cornua.] Ebrietas audaciam, ſtrepitum, furorem inducit. Menander, ὁ πολὺς ἄκρατος μικρ' ἀναγκάζει φρονεῖν: Immoderatum merum nos parum ſapere cogit. Vide Plin. 23. 1.

Quid vult ille color.] Igneus vel rubeus Bacchus effingitur, ad naturam vimque meri indicandam.

Cum Semeles de v.] Ouid. 3. Metam. Plin. 14. 5.

infectum pu luere merſit aquis.] qua de re Græcum epigramma Meleagri.

αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, &c.

Huc Plutarch. Diſputatione, An ſeni adminiſtranda Reſpub. Aquam vino miſcemus, inquit, vt Deum furentem, ſicuti ait Plato, ſobrio altero caſtigatum temperemus.

Hinc ſapit] ſapiens eſt, qui temperatè vino vtitur, qui minimè, ſibi perniciem creat. Theocrit.

οἷα Διώνυσος δᾶκ' ἀνδράσι χάρμα καὶ ἄχθος.

Atheneum lege Dipnoſ. 10. 9. Plin. 14. 15.

Sed nunc me doceas.] Altera pars emblematis, de vini moderato vſu.


Quadrantem addat.] conſiſte intra menſuras, mediocres, vt ſi quis apud nos Lutetiæ præter heminam bibit pro ebrioſo & vinolento non iniuria haberi poteſt: cum qui moderati ſunt, nec omnino malè inſtituti, ſemihemina

na ſint contenti.

Res dura hæc nimium.] ſeuerior hęc bibendi lex, dixerit aliquis.

ſunt pendula guttura.] Nullus eſt, qui non appetat vini delicias, neque ita diluti, aut ita anguſtis poculis. facilè enim fluit, & facile eſt id percolare.

heu facilè commoda.] quę commoda ſunt, vel quę ita putantur, non facilè nobis accedunt. Nam quę pulchra, difficilia: quę verò ſunt incommoda, vltro veniunt, etiãque non arceſſita.







Gramen.

EMBLEMA XXVI.



GRAMINEAM Fabio patres tribuere corollam,
Fregerat ut Pœnos Hannibalemq; mora.
Occulit inflexo nidum sibi gramine Alauda,
Vulgò aiunt, pullos sic fouet illa suos.
Saturno Martiq; sacrum, quo Glaucus adeso
Polybides, factus creditur esse Deus.
His meritò arguitur nodis tutela saluúq; :
Herbaq; tot vires hæc digitalis habet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

FONTEM huius Emblematis ex Festo Pompeio repetendum duco, cuius hęc verba: Herbam do, cum ait Plautus, victum me fateor, significat: quod est antiquę & pastoralis vitę indicium. Nam qui in prato cursu ant

aut viribus contendebant,cum superati erant,ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam aduersario tradebant Citatur ex Attio:

Gaudent,currunt,celebrant,herbam conferunt.

Alciatus verò hic celebrat graminis vires, ex qua corona graminea olim fiebat:in qua nidificat Alauda:quam herbam Saturno & Marti sacram ait,& qua comesta Glaucus putatur reuixisse, & in Deorum numerum transijsse, quibus exemplis ostenditur gramen poni meritò pro nota salutis & tutelæ.

Gramineam corollam] signum salutis. Ea dabatur ei, qui ciuis ciuem seruasset, dicebaturque ciuica. Plin. 22. cap. 3. 4. 5. Vide etiam Festum,

Pœnos,Hannibalemq́;] idest Hannibalem Carthaginensium ducem.

mora.] proinde cunctator pro dictatore Fabius appellatus.

Occulit inflexo.] Alauda siue Galerita nidificat in gramine. Citatur hoc ex Cassiano Basso,li.de Agricultura,

ἐν κορυδοῦ κοίτα σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις.

Ramosum gramen nido occultatur Alauda.

Saturno Martiq́; sacrum.] Cur id?an quia Aischyrion Samius in quodam Iambo ait Saturnum seminasse gramen, quod vocat gramen deorum? an quia viuax gramen dicitur Ouid.7.Metamorphoseon? Martia autem, quòd in campo Martio Romæ cresceret,& Martiali donaretur pręmio. Certè gramen,& Gradiuus (quod Martis nomen) à gradiendo appellantur.

quo Glaucus adeso.] Athen.7.16. Plin.9.16.& 32.11. Prouerb.item,Glaucus comesa herba in mari reuixit.

His nodis.] His notis,symbolis:

arguitur] ostenditur.

Herba digitalis] Plin.24. 19.



Nec verbo, nec facto quenquam lędendum.

EMBLEMA XXVII.



ASSEQVITVR, Nemesisq́; virûm vestigia seruat,
Continet & cubitum, duraq́; frena manu.
Ne malè quid facias, neve improba verba loquaris:
Et iubet in cunctis rebus adesse modum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTVM hoc ex duobus distichis Gręcis lib. 4. Antholog. Nemesis, arrogantię omnis vindex ita depingitur, vt homines persequatur, eorum actiones exploret, cubitum (id est, mensuram) altera manu teneat, altera verò frenum: quasi quæ modum rebus omnibus imperet: & ne quid fiat improbè, aut dicatur malè peruersèque prępscribat.

virûm

virùm vestigia seruat.] obseruat hominum vestigia : qua ratione Vestigiaria dicta, *ἰχναίη* Græcis.

Continet & cubitum.] non cubitum brachij, sed vlnam, sex palmorum mensuram interpretor. Iulium Pollucem auctorẽ laudo, qui pro eodem accepit πῆχυν καὶ ὠλένην,.i. cubitum & vlnam.

duraq; frena.] durum frenum, lupatum.

Ne malè quid facias, &c.] cui respondet freni symbolum.

Et iubet in cunctis.] In rebus cunctis modus ostenditur cubito, id est, vlna seu mensura.



Tandem

Tandem tandem iustitia obtinet.

EMBLEMA XXVIII.



ÆACIDÆ Hectoreo perfusum sanguinem scutum,
Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit,
Iustior arripuit Neptunus in æquora iactum
Naufragio, vt dominum posset adire suum:
Littoreo Aiacis tumulo namque intulit vnda,
Quæ boat, & tali voce sepulchra ferit:
Vicisti Telamoniade tu dignior armis.
Affectus fas est cedere iustitiæ.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

APPARET id esse sumptum ex duobus Græcis epigrammatis, lib. 1. Antholog. Significatur id, quod alijs verbis à Liuio dicitur: *Veritatem laborare sæpe, extingui nunquam.* Vt enim quæ falsa sunt, vel nullo cer-

tè ita curante delentur aliquo tractu temporis: vera autem & iusta, quanquam cedant interdum violentis hominum iniurijs, tandem tamen emergunt. Proponitur id exemplo nobili de armis Achillis, quibus iniquo Græcorum iudicio Vlyssi adiudicatis, ea tandem post eius naufragium ad Aiacis tumulum, vi fluctuum peruenerunt, quasi sic volente numine, vt verus possessor ius suum vel post mortem obtineret. Refert historiam Pausanias, & Q. Calaber.

Æacida Hectoreo] Propter hyperbaton confusa syntaxis ita ordinanda: Iustior Neptunus arripuit scutum (perfusum sanguine Hectoreo: & quod iniqua Græcorum concio dedit Ithaco) iactum in æquora naufragio, &c.

Æacidæ.] Achillis, ab Aeaco auo, qui pater Telamonis & Pelei.

Hectoreo perf.] Hectorem enim Achilles interfecit.

Quod Græcor. Ithaco.] quod scutum Vlyssi adiudicauit iniquus Græcorum consessus.

iniqua concio.] vel ad suffragia refero & fauores, vel ad ipsos iudices, Agamemnonem & Menelaum, qui concionem aduocarant, ad ferendum iudicium de Achillis armis.

Iustior Neptunus.] Atqui homines debebant esse mari mitiores, quo elemento nullum aliud implacabilius.

arripuit.] Verbum celeritatis ad hominum eleuandam fidem, eamque cum Neptuni, id est, maris æquitate conferendam. Immò vero belluę interdum mitiores sunt hominibus, quàm homines ipsi in suos.

in æquora iactum.] proiectum vi tempestatis.

vt dominum suum.] Aiacem, qui habebat ius dominij.

Littore Aiacis.] detulit ad tumulum Aiacis in littore situm.

boat.] Immurmurat, & quasi mugitum bouis edit, metaphora.

Voce.]

Voce.] καταχρηστικῶς, pro ſonitu.

Viciſti.] Proſopopœia maris ad Aiacem. ſic ſe habent fata quędam iudiciorum, vt non obtineant niſi poſt eorum mortem, quorum fuit ius.


Telamoniade.] Telamonis fili.

tu dignior armis.] honore armorum Achillis.

Affectus fas eſt.] Liuius: Veritas laborat ſępè, extinguitur nunquam, vt ſupra: & Menander:

ἐν παντὶ δεῖ καιρῷ τὸ δίκαιον ἐπικρατεῖν. i.

Vbique victrix iuſtitia par eſt, ſiet.



Etiam

Etiam ferocissimos domari.

EMBLEMA XXIX.



ROMANUM postquàm eloquium, Cicerone perempto,
Perdiderat patriæ pestis acerba suæ,
Inscendit currus victor, iunxitque leones,
Compulit & durum colla subire iugum:
Magnanimos cessisse suis Antonius armis,
Ambage hac cupiens significare duces.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HVIVS historię testis videri potest Plinius lib. 8. cap. 16. Primus Romę Leones ad currum iunxit M. Antonius, & quidem ciuili bello, cum dimicatum esset in campis Pharsalicis, non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus iugum subire illo prodigio significante.

Romanum postquam.] Eſt & in hoc hyperbaton,& implicatus verborum contextus, quem ſic digero:Poſtquã M. Antonius , peſtis acerba ſuę patrię , perdiderat eloquium Romanum ,perempto Cicerone,inſcendit currus victoř,&c.


Roman. eloquium.] ſic appellatur Plin.7.cap.30.

perdiderat.] i. perdidiſſet, de medio ſuſtuliſſet.

patriæ ſuæ peſtis.] qui ſuę patrię fuit exitioſus.

Magnanimos ceſſiſſe.] Huic fere ſimile Accij illud ex Nonio :

Nullum eſt ingenium tantum,neque cor tam ferum.
Quod non labaſcatur lingua, miteſcat malo.



Gratiam

Gratiam referendam.

EMBLEMA XXX.



AERIO insignis pietate Ciconia nido,
Inuestes pullos, pignora grata fouet.
Taliaq́ue exspectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.


CICONIAE quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipsę à pullis suis inuicē aluntur, ait Solinus Polyhist. ca. 43. Ergo Aegyptij, cum significarent hominem, qui patris curam gereret, Ciconiam & Cucupham pingebant, quòd hę soleant genitoribus senio confectis, eodem modo gratiam rependere,

quo ipsę fuerint educatę. Ijs enim nidum parant, pennas vellicāt inutiles, & pabulum suppeditant. Itaque pietatis & grati animi symbola gerunt.

Aerio nido.] loco edito, alto.

Inuestes pullos.] impuberes nondum volandi potentes.

Taliaq; exsp.] sibi vicem repensum iri sperat, cum fuerit affecta ętate. hinc pręclara verba γηροβοσκεῖν, γηροτροφεῖν, γηρονομεῖν. Vide Prouerb. ἀντιπελαργεῖν,






Abstinentia

Abſtinentia.

EMBLEMA XXXI.



MARMOREÆ in tumulis vna ſtat parte columnæ
Vrceus, ex alia cernere malluuium eſt.
Ius hac forma monet dictum ſine ſordibus eſſe,
Defunctum puras atq; habuiſſe manus.

EXPLICATIO CLAVD. MIN.

PROPONIT epicedio iudicis ęquiſſimi duo ſymbola, Vrceum, & Malluuium, quibus in iure dicundo ſumma integritas & abſtinentia deſignatur à muneribus capiundis. Cęterum manuum abluendarum geſtus olim fuit innocentię aperta quędam demonſtratio: quod ex ſacris & externis auctoribus cognoſci poteſt.

Vrceus.] aqualis, vas, quo infunditur aqua.

malluuium.] pollubrum, lebes.

hac forma.] hęc deſignatio ſymbolorum.

Ius dictum sine sordibus.] fuisse ἀδόσιτον κριτὴν, καὶ ἀδωροδόκητον, iudicem incorruptum, & à capiundis muneribus alienū: qualis ab Horatio describitur 4. Carm. 9.

Iudex auaræ fraudis & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ, &c.

puras manus] καθαρὰς χεῖρας, vt in 1. Cod. tit. de mandat. princip. rectè pręcipitur.

Bonis à diuitibus nihil timendum.

EMBLEMA XXXII.



IVNCTVS contiguo Marius mihi pariete, nec non
Subbardus, nostri nomina nota fori,
Ædificant bene nummati, sataguntq; vel vltrò
Obstruere heu nostris vndiq; luminibus.
Me miserum, geminæ quem tanquam Phinea raptant
Harpyæ, vt proprijs sedibus eijciant,
Integritas nostra, atq; animus quæsitor honesti,
His nisi sint Zetes, his nisi sint Calais.

EXPLI-

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SIGNIFICAT sibi rem esse cum quibusdam viciuis suas ędes ita altè exstruentibus, vt officerent suarum luminibus ędium: de quibus ita conqueritur, vt olim de Harpyis Phineus, parum enim abesse, quin proprijs ędibus exturbetur, nisi sibi sua animi probitas, & integritas opem tulerit, haud secus atque olim Phineo Zetes & Calais.

Iunctus contig.] vicini mei Marius & Subbardus, qui iunctum habent parietem meis ędibus.

nostri nomina.] bene noti in nostro foro, vel vt locupletes, vel vt pragmatici & factiosi homines.

bene nummati] dites Horat. 1. Epist.

At bene nummatum decorat Suadela, Venusq;

satagunt.] nituntur quantum possunt.

Vel vltrò.] etiam sua sponte, nullo suo iure, nullaque à me iniuria prouocati: hi quidem de eorum genere, quos Plautus notat Pœnulo. *Si nihil sit litium, lites serunt.*

Obstruere nostris luminibus.] officere luminibus, lumen eripere. formula loquendi in iure peruulgata.

geminæ Harpyæ.] vicini hi mei sunt mihi Harpyiarum instar. de Harpyis 3. Aeneid. Virg. 7. Metam. Ouid. aliique multi.

Integritas nostra.] nisi mentis integritate honestateq; vindicer, quę mihi sint vt olim Phineo Zetes & Calais. Et quidem καλαΐς ἀπὸ τοῦ καλοῦ, quo animi designatur integritas: animus verò quęsitor honesti, est ille Zetes, i. ζήτης, qui nomen habet à ζητεῖν, quęrendo.



Signa fortium.

DIALOGISMVS.
EMBLEMA XXXIII.



QVÆ te caussa mouet volucris Saturnia, magni
Vt tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo, quantum inter aues ego robore præsto,
Tantum semideos inter Aristomenes.
Insideant timidæ timidorum busta columbæ;
Nos aquilæ intrepidis signa benigna damus.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PVLCHRE id imitatus est ex 3. Græcorum epigrammaton: quo sub nomine Aristomenis, Carolum V. Imp. celebrat: alluditque ad Imperialis dignitatis publicum stemma, nempe aquilam, notam fortitudinis, stre-

nuitatis,

nuitatis, intrepidi animi.

volucris Saturnia.] aquila, Ioui sacra, qui Saturnius à Saturno patre dicitur poetis.

ardua.] sublimis. erecta.

magni Aristomenis.] i. Caroli Quincti, quem nomine Aristomenis appellat. De Aristomene, Plin. 11.37. Val. Max. 1.8.

semideos inter.] Heroas, seu Principes magni nominis, stupendęque virtutis.

timidæ columbæ.] quę symbolum ferunt meticulosi & timidi animi.

busta.] sepulcra, tumulos.

Nos aquilæ.] Aquila signum fortitudinis, excelsique animi.



Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

EMBLEMA XXXIV.



ET toleranda homini tristis fortuna ferendo est,
Et nimium felix sæpe timenda fuit.
Sustine (Epictetus dicebat) & abstine, oportet
Multa pati, illicitis absque tenere manus.
Sic ducis imperium vinctus fert poplite taurus
In dextro: sic se continet à grauidis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVO verba hęc, *Patere & abstine*, Philoſopho Epicteto familiaria, quibus bene viuendi rationem omnem complexus dicitur. Primo ad patiētiam hortabatur, id eſt, virtutum omnium adminiculum & quaſi cuſtodem, qua ſe quiſque aduerſus fortunę omnes impetus obarmaret, & labores ad vitam neceſſarios ęquo ferret animo

animo. Altero verò abſtinendum eſſe ab omni luxu, maximeque Venereo, vt etiam cibo potuque nimio volebat. Quod hic declaratur tauri ſymbolo, qui ligato poplite, duci ſuo paret; ſeque à Vaccis grauidis omnino continet.

Et toleranda.] aduerſa fortuna eſt forti viro ferenda. Sic Poeta.

——ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Et nimium felix.] In Publii Mimo:

Fortuna dum blanditur, captatum venit.

illicitis abſq; tenere manus.] i. abſtinere manus illicitis, continere manus à rebus illicitis: eſt enim tmeſis.

ducis.] ductoris.

Sic ducis imp.] teſtis Orus & Pierius.



In adulari neſcientem.

EMBLEMA XXXV.



SCIRE cupis dominos toties cur Theſſalis ora
Mutet, & vt varios quærat habere duces?
Neſcit adulari, cuiquàmve obtrudere palpum:
Regia quem morem Principis omnis habet.
Sed veluti ingenuus ſonipes, dorſo excutit omnem,
Qui moderari ipſum neſciat Hippocomon.
Nec ſæuire tamen domino fas: vltio ſola eſt,
Dura ferum vt iubeat ferre lupata magis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SIGNIFICATVR innaſci plerumque motum populare, vel ob iniquam Magiſtratuum adminiſtrationem, vel intolerabilem Principum tyrannidem. Accidit enim nonnunquam Principi violento, aut rerum gerendarum

rēdarum imperito, quod equiſoni, qui dum equum alio qui violentum moderari neſciat, excutitur ſępiſſimè. Ita Princeps iniquus, & pręter modum ſæuus, populi animos in ſe commouet. Ex quo Ariſtippus dicebat Regi bene ceſſurum, ſi equitandi artem primùm addiſceret, equum enim adulari non poſſe, vt hominem: nec ablandiri, vt ſcurram aut paraſitum.

Theſſalis ora] regio Theſſalica. i. ipſi Theſſali.

toties dominos mutet.] reges, ſeu tyrannos potius. hiſtoria eſt apud Diodor. Sic. lib. 6. & Vlpian. Demoſthenis interpretem.

obtrudere palpum] arte doloque fallere, adulari. Verbum Plautinum ab equiſonibus ductum. hinc palpones, aſſentatores.

Regia quem morem,] Q. Curtius lib. 8. pernicioſa adulatio, perpetuum malum regum: quorum opes ſępius aſſentatio, quàm hoſtis euertit.

ingenuus ſonipes.] velox equus & ſuperbus.

dorſo excutit.] fitque ſternax, & eum deiicit, qui ſe moderari neſciat.

hippocomon.] qui equos ornat aut componit.

Nec ſæuire tamen.] Rex non alio ſęuire modo in ſuos debet, quos minimè obſequentes norit, quàm vt fortiore legum vinculo eos reprimat & cohibeat.

lupata.]aſperrima frena.





Obdu-

Obdurandum aduersus vrgentia.

EMBLEMA XXXVI.



NITITVR in pondus palma, & consurgit in arcum;
Quò magis, & premitur, hoc mage tollit onus:
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,
Queis mensas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige: mentis
Qui constantis erit, præmia digna feret.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NITENDVM est magno & indefesso labore ad ardua quęque neque remittendus animus, proposita spe fructus & victorię. Symbolum Palmę apponitur, quę quanquam pressa onere, non deorsum cedit, nec intra flectitur, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur.

tur. Plutarch. 8. Sympoſ. Plin. 16. 42. Gellius 3. 6.

Nititur in pondus.] videtur niti aduerſus impoſitum fortè ſibi onus.

odoratas glandes] odoriferos dactylos.

bellaria dulcia.] πέμματα, ſeu τραγήματα. De hoc verbo Gell. 13. 11.

mentis qui conſtantis erit.] γνώμη. ferè ſimile Seneca De ira: mille ſunt in quibus pertinacia impedimentum omne tranſcendit, oſtenditque nihil eſſe difficile, cuius ſibi ipſa mens patientiam indixerit. Et deinde: Nos non aduocabimus patientiam, quos tantum prȩmium exſpectat?



Omnia

Omnia mea mecum porto.

EMBLEMA XXXVII.



HVNNVS inops, Scyticiq; miserrimus accola Ponti,
Vstus perpetuo liuida membra gelu:
Qui Cereris non nouit opes, nec dona Lyæi,
Et pretiosa tamen stragula semper habet.
Nam murina illum perstringunt vndiq; pelles:
Lumina sola patent, cætera opertus agit.
Sic furem haud metuit, sic ventos temnit & imbres;
Tutus apudq; viros, tutus apudq; Deos.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EXEMPLAR huius Emblematis ductum est ex Cornelij Taciti extremo libro De moribus Germanorum, vbi Fennos describit mira feritate ac paupertate homines, quibus neque arma, neque equos, neque penates fuisse dicit: quibus etiam pro victu herbam, pro vestitu pelles,

pelles, pro cubili humum. Quod vitę genus beatius arbitrantur, quàm agris ingemere, illaborare domibus, ſuas alienasq́; fortunas ſpe metuque verſare. ſecuros eos aduerſus homines, ſecuros aduerſus Deos. hęc ferè Tacitus. Quam tamen hiſtoriam accommodat Alciatus apophthegmati Biantis, vt ſignificet animum hominis eſſe beatiſſimum, qui non pendeat ab ijs, quę caduca ſunt & fortuita, vt quę ſollicitudines ſanè multas pariant: ſed ea imprimis appetenda, in ijsq́ue conſiſtendum, quę facilis natura nobis eſt elargita, vel quę ab animo proficiſcuntur.

Scythicią; miſ.] pauperrimus incola maris glacialis Scythię.

Vſtus perp.] vi perpetui frigoris confectus. Vrere etiam frigoris eſt, & moleſtiam inferre interdum ſignificat.

Qui Cereris, &c.] qui panis viniq́ue vſum nunquam nouit.

Stragula.] pelles, quibus vtitur pro veſtitu.

Nam murinæ illum.] opertus eſt murinis pellibus.

Sic furem.] tutus & ſecurus agit, ex ſe beatus eſt: neque furum, neque temporis iniurias metuit.



Concordiæ Symbolum.

EMBLEMA XXXVIII.



CORNICVM mira inter se concordia vita est,
Mutua, statq; illis intemerata fides.
Hinc volucres hæc sceptra gerunt, quòd scilicet omnes
Consensu populi stantq; caduntq; duces:
Quem si de medio tollas, discordia præceps
Aduolat, & secum regia fata trahit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PRINCIPVM summorum status non aliundè firmius stabilimentum capit, quàm à populi consensu, concordia, & beneuolentia. Itaque prudenter & prouidè faciunt, qui stabile ac securum in subditos imperium tutari volunt; cum motuum omnium & seditionum caussas pręcidunt, maluntque à suis amari quàm timeri.

Quod

Quod ostenditur symbolo cornicum sceptrum regium sustentantium. Cornicem haberi pro concordię nota, didicimus ex Oro, alijsque.

Hinc volucres.] quia cornices pro symbolo concordię adhibentur, hic rectè sceptrum gerunt, vt significetur populari consensu imperium quodque regium stabiliri. hinc puto repertum nomen βασιλέως, seu πασιλέως. Lege Senecam de clementia, 1. c. 3. 4 & 19.

duces.] reges.

Quem.] consensum.

præceps.] subita, celer.

regia fata trahit.] regis aut principis mortem.





Concordia.

EMBLEMA XXXIX.



IN *bellum ciuile duces cùm Roma pararet,*
Viribus & caderet Martia terra suis:
Mos fuit in partes turmis coeuntibus easdem,
Coniunctas dextras mutua dona dare.
Fœderis hæc species: id habet concordia signum,
Vt quos iungit amor, iungat & ipsa manus.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX 2. historiarum Taciti, & aliquot aliis locis didici dextras pro concordiæ symbolo apud Romanos, aliasq; nationes accipi solitas. sed ad rem: in ipso belli ciuilis classico ne amici cum inimicis & hostibus citra discrimen comprimerentur, interpositum fuit eiusmodi sacramentum fidei. At verò existimem hic dextras, pro quadam vsitata fidei nota, in auro, argento ve, aut alio metallo depicta, sumi.

duces.]

duces.] Imperatores suos.
Viribus & cad.] Imitatio Horatiana, Epod. 16.
Altera iam teritur bellis ciuilibus aetas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Mos fuit.] vt qui essent eiusdem factionis, mutuò dextras darent in signum concordię.

Concordia insuperabilis.

EMBLEMA XL.



TERGEMINOS *inter fuerat concordia fratres,*
Tanta simul pietas mutua, & vnus amor:
Inuicti humanis vt viribus ampla tenerent
Regna, vno dicti nomine Geryonis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

GERYONEM tricorporem ideo finxere veteres, quòd vna cum fratribus, quos duos habebat, tanto

amore, tantaque fide vixit, vt ij vno nomine Geryones dicerentur: adeoque vnicam regi animam, voluntatemque inesse, quanquam tres essent, communis iactaret opinio. Iustin. lib. 44. Ex quo intelligitur concordes & vnanimes inuictos effici: qui singuli, & discordes, aut non sibi mutuò respondentes, debiles omnino, vincique faciles.

Inuicti hum.] vt cum vinci non possent ab hostibus etiam fortissimis.

ampla tenerent regna.] duas insulas Baleарides, & Ebusin: vel Trinacriam in Ponto Euxino, de qua Palęphatus.

vno nomine Geryonis,] quanquam tres essent, vno tamen nomine nuncupabantur.



Vnum nihil, duos plurimum posse.

EMBLEMA XLI.



LAERTÆ genitum, genitum quoque Tydeos vnà.
Hac cera expressit Zenalis apta manus.
Viribus hic prestat, hic pollet acumine mentis,
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cùm duo coniuncti veniunt, victoria certa est.
Solum mens hominem, dextrave destituit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CHARACTER huius Emblematis duci mihi videtur ex Iliad. Homericę κ. quo loco Diomedes, cum mittitur exploraturus Troiana castra, petit aliquē socium sibi adiungi, sed in primis Vlyssem, vt sit ei à consilijs, ipse viribus vtatur corporis Ex quo intelligimus. ad res quasque graues, vt militares, & quæ pertinent ad

Reipub.ſummam, conſilium & vires adhiberi oportere. In ijs enim perficiendis, nedum ſuſcipiendis, vnus vir, nullus vir, quod habet adagium: adeo vt vires conſilio deſtitutę; & contra, conſilium vel optimum, viribus, nihil omnino promoueat.

Laertæ genitum.] Vlyſſem.

genitum Tydeos.] Diomedem.

Hac cera.] tabula cerea, vt olim apud veteres.

Zenalis apta manus.] artifex peritus.

Viribus hic præſtat.] Diomedes valet corporis viribus.

hic pollet acumine mentis.] Vlyſſes pollet conſilio.

Nec tamen.] alter alterius ope indiget.

Cùm duo coniuncti.] σύντεδ' ὐ ἐρχομένων vt Homerus loquitur, Iliad. κ.



Firmiſ-

Firmiſſima conuelli non poſſe.

EMBLEMA XLII.



OCEANVS quamuis fluctus pater excitet omnes;
Danubiumq́; omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limite, Cæſar
Dum Carolus populis bellica ſigna dabit.
Sic ſacræ quercus firmis radicibus adſtant,
Sicca licet venti concutiant folia.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID mutuatus eſt ex epigrammate quodã Græco Crinagori, quod confert in laudationem Caroli V. Imp. parta illa nobili de Turcis victoria, qui irrito conatu Viennam Auſtrię vrbem obſederant. Symbolum hic ponitur annoſę quercus, quæ, quanquam folijs hinc inde excuſſis, firmis radicibus hęret. Ita virtus illa Imperato

ria, aut etiam Christianus status, moueri loco non potest, tametsi quidam bello cadant, alij etiam modis alijs periclitentur.

Oceanus quamuis.] quamuis videantur fluuij omnes in mare cogi, à mari magno absumi.

Danubiumq́;] quanquam Turcus Imperator suis innumerabilibus copijs videatur exsiccare Danubium fluuium Germaniæ, de quo Plin. 4. 12.

Non tamen irrumpes.] vi, magnoq́ue impetu non penetrabis in Germaniam.

Cæsar dum Carolus.] quamdiu præerit Imperator Carolus expeditionibus bellicis.

Sic sacra quercus.] Vetustæ quercus non excutiuntur vi ventorum, quanquam folia quædam sicca decidant. Sic apud poetam immotus Aeneæ animus cum annosa quercu comparatur, lib. 4.



Spes

Spes proxima.

EMBLEMA XLIII.



INNVMERIS agitur Respublica nostra procellis,
Et spes venturę sola salutis adest:
Non secus ac nauis medio circum ęquore, venti
Quam rapiunt, salsis iamq; fatiscit aquis.
Quòd si Helenę adueniant lucentia sidera fratres,
Amissos animos spes bona restituit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc videtur ab Alciato conscriptum, quo tempore ad Niceum colloquium magna omnium spe & votis exspectabantur Carolus V. Imp. & Franciscus I. Galliarum Rex: quo loci nonnulli in spem veniebant fœdus aliquod firmum & stabile inter eos compositum & sancitum iri, vt eo confecto negotio contentionum omnium

nium in orbe Christiano tam diu grassantium occasio omnis abscinderetur. Comparat ergo Rempub. Christianam cum naui ventis & fluctibus vndique agitata: duos Principes orbi salutiferos cum Castore & Polluce; id est Dioscuris, quos, cum apparent, aiunt esse nauibus salutares.

fatiscit.] deficit, peneq́ue obruitur.

Quòd si Helena, &c.] si Castor & Pollux appareant nautis, de quibus Seneca Natur. quæst. 1. præfatione. Diodor. Sicul. Ouid. Plutarch. alij.



In ſimulacrum Spei.

EMBLEMA XLIV.



QVÆ Dea tam læto ſuſpectans ſidera vultu?
Cuius peniculis reddita imago fuit?
Elpidij fecere manus. Ego nominor illa,
Quæ miſeris promptam Spes bona præſtat opem,
Cur viridis tibi palla? quòd omnia me duce vernent,
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod viuos ſperare decet, præcido ſepultis.
Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?
Sola domi manſi volitantibus vndique noxis,
Aſcræi vt docuit Muſa verenda ſenis.
Quæ tibi adeſt volucris? Cornix fidiſſimus oſcen;
Eſt bene cùm nequeat dicere, dicit, erit.
Qui comites? bonus Euentus, præcepsq́; Cupido.
Qui præeunt? Vigilum ſomnia vana vocant.
Quæ tibi iuncta aſtat? ſcelerum Rhamnuſia vindex,
Scilicet vt ſperes nil, niſi quod liceat.

EX-

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PVLCHERRIMA Spei deſcriptio ex adiunctis & effectis, quæ ſymbolis conuenientiſſimis explicatur. Ea hominem lætum reddit, & ſemper meliora exſpectantem, adeò vt ad mortem vſq; comitetur: mera ſibi fingit ſomnia, nihilq; non ſibi pollicetur. Si tamen immoderata ſit & importuna, vltricem habet Nemeſim, quæ vota plus æquo ambitioſa facit irrita, quæque omnem cupidorum arrogantiam vlciſcitur.

Cuius peniculis.] cuius imago expreſſa fuit penicillo.

Elpidij.] pictoris, cuius nomen ab ἐλπὶς, ἐλπίδος.

ſpes bona præſtat opem.] Prou. Spes ſeruat afflictos, & Spes alunt exſules.

Cur viridis tibi palla?] Viror ſpei color eſt, vt poſtea in colores, noſter hic.

Nos ſperare docet viridis, &c.

Quid manibus.] Tela fracta mortis ideò Spei tribuuntur, quòd adactos in extremas miſerias vna ſoletur, Prouerb. Aegroto dum anima eſt, ſpes eſt.

præcido ſepultis.] Mortuis ſpes præciditur, qui non ſunt amplius in natura.

Cur in dolioli.] Fabula de Pandoræ pyxide apud Heſiod. 1. ἔργων.

Aſcræi ſenis.] Heſiodi, ab Aſcra, Bœotiæ vico.

Quæ tibi adeſt.] Cornix, auis tributa Spei, quòd ſubinde *cras, cras*, edat.

oſcen.] auis auſpicijs apta.

Eſt bene cum nequeat.] Ex Suetonij Domitiano extremo:

Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene non potuit dicere, dixit erit.

Qui comites.] Spei comites, Bonus euentus, de quo Plin. 34. 8. & 36. 5. itemque Cupido.

Vigilum ſomnia.] Plato τὰς ἐλπίδας dicebat ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι.

Quæ tibi iuncta.] Nemeſis vindex arrogantiæ omnis,

Spei

Spei adiuncta: vt doceamur, nihil ſperandum, niſi quod licitum ſit, noſtriſq́; viribus & captui congruum.

In dies meliora.

EMBLEMA XLV.



ROSTRA nouo mihi ſetigeri ſuis obtulit anno,
Hacq́; cliens ventri xenia, dixit, habe.
Progreditur ſemper, nec retrò reſpicit vnquam,
Gramina cùm pando proruit ore vorax.
Cura viris eadem eſt, ne ſpes ſublapſa retrorſum
Cedat, & vt melius ſit, quod & vlterius.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

OCCASIONE ſuilli roſtri ſibi à cliente quodam pro xenijs oblati, ſignificat occaſionem vndecunque nobis eſſe captandam vlterius progrediéndi, vt labore & dili-

diligentia promoueamur, ſucceſſumque optatum conſequamur, adeò vt non reuocemur ab officio faciendo occaſione leuicula, & quod vlterius fuerit, ſit ſemper melius.

Roſtra.] roſtrum. ſynecdoche numeri.

nouo anno.] Iani Kalendis.

ſuis ſetigeri.] porci ſetas gerentis.

obtulit.] pro ſtrenis.

ventri xenia, dixit, habe.] Proſopopœia ruſtica ruſtici hominis. Obiter reperio ſuillas carnes Romanis fuiſſe in delicijs.

Progreditur ſemper.] hinc occaſio captata Emblematis.

Gramina.] quiſquilias & alia.

ore pando.] roſtro reflexo, recuruo.

Cura viris eadem eſt.] itidem debent curare homines, ne fruſtrentur ſua ſpe, rebusque cupitis.

& vt melius.] i. δευτέρων ἀμεινόνων.



Illi-

Illicitum non ſperandum.

EMBLEMA XLVI.



SPES *ſimul & Nemeſis noſtris altaribus adſunt,*
Scilicet vt ſperes non, niſi quod liceat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

IDEM cum ſuperiore. Spem cum Nemeſi eadem ara poſitam, vt admoneamur nihil nobis optandum aut ſperandum, niſi quod liceat, quodq́ue noſtra expectatione noſtroque captu dignum ſit: quia Nemeſis, vindex omnis arrogantiæ & faſtus, propè ſit temeritatem vltura impotentem.

noſtris altaribus.] iiſdem ſunt locatæ aris, quod paulò ante dictum.

Pudicitia.

EMBLEMA XLVII.



PORPHYRIO, domini si incestet in ædibus uxor,
Despondetq; animum, præq; dolore perit.
Abdita in arcanis naturæ est caußa: sit index
Sinceræ hæc volucris certa pudicitię.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ÆLIANVS lib. 14. scribit Porphyrionem auem, muliebris pudicitię obseruatorem esse, matrisque familias adulterium suspendio suo indicare. Alii etiam auctores idem prodiderunt. Huius rei caussa est in abditis naturę arcanis. tantùm liceat hinc colligere, quàm turpe, quàmque flagitiosum sit adulterium, cuius actu vel clanculario auicula se sponte vita priuet.

si incestet] si adulterio se inquinet vxor domini.

Abdita in arcanis.] eius rei ratio reddi non potest, vt quæ sit inter naturæ arcana.

In

In victoriam dolo partam.

EMBLEMA XLVIII.



AIACIS tumulum lacrymis ego perluo Virtus,
Heu misera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc restabat adhuc, vt iudice Græco
Vincerer: & caussa stet potiore dolus.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

TRACTVM id ex Asclepiadis tetrasticho, quod legitur in 3. Græcorum epigrammaton. Conqueritur Virtus ad Aiacis tumulum sedens, quòd Achillis arma, non Aiaci, cui iustè debebantur, sed Vlyssi fuerint adiudicata, iniqua Græcorum Principum sententia. Ex quo intelligitur plerosque viros innocentes iniquis iudicum decretis de suo iure deturbari, vexari, spoliari bonis: dolosos verò & fraudulentos contra in honore haberi, va-

lere

lere gratia, ſuſtentari, fruſtra dolentibus interea viris bonis.

albentes dilacerata comas.] in ſignum męſtitiæ.

Scilicet hoc reſtabat.] q. d. non ita grauiter animo affecta cruciarer, niſi tam miſerè victa & deſtituta eſſem ab iis, quibus in primis me putabam commendari, Græcis nempe, politis & doctis hominibus. Idem enim iudicium ſi latum eſſet à iudice barbaro, ferrem animo ęquiore.

& cauſſa ſtet potiore dolus.] adeò fraudulenti & doloſi ſuperiores ſunt in controuerſia: vel, dolus ſit melioris conditionis, quàm iuſtum & æquum.



In fraudolentos.

EMBLEMA XLIX.



PARVA lacerta, atris ſtellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras, & caua buſta colit.
Inuidiæ, prauiq́ doli fert ſymbola pictus.
Heu nimium nuribus cognita zelotypis.
Nam turpi obtegitur faciem lentigine quisquis,
Sit quibus immerſus ſtellio, vina bibat.
Hinc vindicta frequens decepta pellice vino,
Quam formę amiſſo flore relinquit amans.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PLINIVS lib. 29. c. 4. tradit è ſtellionibus malum medicamentum fieri. Nam (inquit) cum ſtellio immortuus eſt vino, eorum, qui biberint, faciem lentigine obducit. ob hoc in vnguento necant eum inſidiantes pelli-

cum formę. Stellio itaque poteſt eſſe ſymbolum malę mentis, maliq́; animi, vt ſit hoc tortum in quoſdam ſubdolos & fraudulentos Sinones, à quibus eſſe cauendum notę quędam corporis tacitè videntur pręcipere: vt natura prouida fuit, nobisq́ue egregiè cauit, quę certas malignitatis notas quibuſdam animantibus inditas eſſe voluerit. Ita vulgò dicimus: Cauendum à ſignatis.

Stellio] de quo Plin 30. 10.

ſtellatus corpora.] in tergore notas habẽs in ſtellarum modum. Ouid. 5. Metamorph. Verrius tamẽ ab eo dicit, quòd verruis ſtillet cibo, potius quàm à ſtellarum ſimilitudine, quia eius corium varium eſt.

parua lacerta.] ſpecies lacertę.

qui latebras & caua. b.] Ouid. ibid.

——latebrasq́; petit, aptumq́; colori
Nomen habet, varijs ſtellatus corpora guttis.

prauiq́; doli.] doli mali, de quo iuris interpretes.

nuribus Zelotypis.] mulieribus zelotypia laborãtibus.

lentigine.] macula ſubrufa in facie, vt etiam interdum in manibus.

pellice] amaſia, meretrice.



Dolus

Dolus in ſuos.

EMBLEMA L.



ALTILIS allectator anas, & cærula pennis,
Aſſueta ad dominos ire redire ſuos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum ſe recipitq́; gregem,
Pratenſa incautas donec ſub retia ducat:
Obſtrepitant captæ, conſcia at ipſa ſilet.
Perfida cognato ſe ſanguine polluit ales,
Officioſa aliis, exitioſa ſuis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

TORQVETVR hoc in eos proditione infames Corycæos & ſycophãtas improbos, qui cum animo eſſe amico & beneuolo ſeſe profiteantur, vt in cautis & minus prouidis facilius imponant, nihil non fingunt, ni-

hil non simulant, vt insontes, minimèque malos homines in summum discrimen conijciant. Quod fit, cum post sermones vltro citroque habitos, obiiciunt miseris & incautis vel detestandum sortilegii aut hęreseos crimen, vel denique aliquid aliud, ex quo sunt illi correpti, delatiq; ad extremum vsque vitę famęq; periculũ, vnde vix ac ne vix quidem se possunt expedire.

Altilis anas.] quę domi alitur.

allectator.] alliciens, παλεύτρια, seducens deceptrix.

cærula pennis.] cani coloris vel cinericii.

Congeneres turmas.] eiusdem generis anates.

garrit.] strepit.

In illarum se recipit gregem. [sę sociam illis adiungit.

Pratensa incautas.] donec eas cogat in paratas ab ancupibus pedicas.

Perfida cognato.] sese obstringit scelere perfidiæ longè grauissimo, quòd prodat eiusdem generis alites.



Male-

Maledicentia.

EMBLEMA LI.



ARCHILOCHI tumulo insculptas de marmore vespas
Esse ferunt, linguæ certa sigilla malæ.

EXPLICAT CLAVD. MIN.

SIMILE quid legitur in 3. Græcorum Epigrammat. Vespę autem tumulo Archilochi affixę, effrenis linguę petulantiam arguunt. Quod torqueri facilè potest in scriptorem quẽdam maledicum, quique alios fuerit insana quadam obtrectandi licentia insectatus. Vespę sunt raucę & mordaces: acriter enim pungunt; sed neque mel, neque ceram fingunt; ita maledicis vnum carpendi conuiciandive studium, in cæteris inutiles & inepti.

tumulo de marmore.] tumulo marmoreo, vt apud Virgil in 4.

——*fuit in tectis de marmore templum.*

certa sigilla.] signa seu notas.

In receptatores ſicariorum.

EMBLEMA LII.



LATRONVM, furumq́ manus tibi, Scæua, per vrbem
It comes, & diris cincta cohors gladijs:
Atque ita te mentis generoſum prodige, cenſes,
Quòd tua complures allicit olla malos.
En nouus Actæon, qui poſtquàm cornua ſumpſit,
In prædam canibus ſe dedit ipſe ſuis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Phauorino citatur illud à Stobæo: Quemadmodum Actæon à canibus, quos alebat, diſcerptus eſt: ita paraſiti & aſſentatores eos, à quibus enutriuntur, miſerè perdunt. Id verò in eos torquet Alciatus, qui latrones furesque domi ſuæ receptant: aut etiam (vt verbis vtar Marcellini, lib. 14.) qui familiarium agmina, tanquam

quam prędatorios globos post terga trahunt, à quibus tandem miserè absumuntur.

Latronum.] prędatorum.

furum.] ganeonū, eorumq́;, qui malis artibus viuunt.

manus.] multitudo, globus.

It comes.] te comitatur.

& diris cincta cohors gladijs.] sicarij, qui vulgò spadacini, per contumeliam.

te mentis generosum.] nobilem, & excelso animo.

Quòd tua olla.] tua mensa plures improbos alliciat, Prouerb. Ollę amicitia.

En nouus Actaon.] μυθολογία. De Actęone verò Naso 3. Metamorph.



In adulatores.

EMBLEMA LIII.



SEMPER hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, aurã
Reciprocat Chamæleon:
Et mutat faciem, varios ſumitq́ colores,
Præter rubrum vel candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hiansq́ cuncta deuorat:
Et ſolùm mores imitatur Principis atros;
Albi & pudici neſcius.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EXPRESSVM id è libello Plutarchi de diſcrimine adulatoris & amici. Adulatori omnino idem accidit atque chamæleonti. Nam ille colorũ omnium ſimilitudinem exprimit, præterquàm albi: ſic aſſentator, cum ſe ſimilem pręſtare non poſſit in iis, quę digna ſunt ſtu-

dio

dio, turpia quęque imitatur quantum potest.

reciprocat auram.] resorbet, retrahit.

populari vescitur aura.] Prou. Vento viuere.

Albi & pudici nescius.] color albus mentis integritatem puritatemque, vt rubeus pudorem, arguit.

Ei qui semel sua prodegerit, aliena credi non oportere.

EMBLEMA LIIII.



COLCHIDOS in gremio nidum quid congeris? eheu
Nescia cur pullos tam malè credis auis?
Dira parens Medea suos sæuissima natos
Perdidit; & speras parcat vt illa tuis?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTVM ex Græco Archiæ: estque apostrophe ad hirundinem in statuæ Medeæ quasi sinu nidificantem.

tem. Quæ fabula torquetur in prodigos & decoctores, quibus nihil de rebus aliorum committendum, qui adeò prauè sua dilapidarint. Eos enim non secus atque auiculam imprudenter facere, quæ Medeæ suos paruulos credat, cum ea non continuerit manus à proprijs liberis.

Colchidos.] Medeæ.
in gremio.] sinu.
nidum congeris.] nidificas.
tam malè credis.] tam improuidè committis.
Dira parens Medea, &c.] Ouid. 7. Metam.



Temeritas

Temeritas.

EMBLEMA LV.



IN PRÆCEPS rapitur, frustra quoque tendit habenas
Auriga, effreni quem vehit oris equus.
Haud facilè huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temerè proprio ducitur arbitrio.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HANC similitudinem mutuatus est à Platone, qui animum nostrum cum auriga, perturbationes cũ equis comparat. Significatur autem nihil ei committendum esse, qui in proprios affectus nullum sibi sumit imperium, sed temerè hac & illac fertur concitatus, non aliter quàm equus, qui sessorem abripit.

In præceps rapitur.] de plaustro cadit.
frustra tendit habenas:[sic Virgil.

Instat

Instat equis auriga, neq; audit currus habenas.

effreni oris equus.] ἀχαλίνε ςόματος.

In temerarios.

EMBLEMA LVI.



ASPICIS aurigam currus Phaetonta paterni
Igniuomos ausum flectere Solis equos;
Maxima qui postquàm terris incendia sparsit,
Est temerè insesso lapsus ab axe miser.
Sic plerique rotis fortunæ ad sidera Reges
Euecti, ambitio quos iuuenilis agit;
Post magnam humani generis cladémq; suamq;,
Cunctorum pœnas denique dant scelerum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PHAETONTIS casus in eos Principes traducitur, qui recta mente consilioq; destituti, & audacia iuue-

iuuenili exſultantes, multis varijsq; difficultatibus ſeſe implicant, adeò vt poſt labores inexhauſtos, tandem ſe & ſuos in præcipitium miſerè conijciant. Ferè fit enim, vt Principes illi fatui & excordes, eo, quod habent in alios imperij & potentiæ, pro ſua libidine abutantur, & quaſi prodigant in publicæ rei ſummam perniciem.

currus paterni.] imperij vel regni paterni adminiſtratio.

Maxima qui poſtquã] vbi permultos motus concitauit, ferro flammaque depopulatus eſt.

Eſt temerè inſeſſo.] de plauſtro decidit, quod temerè inſcenderat.

Sic plerique] ita quidem noui Principes ad regni vel Principatus euecti faſtigium, aura quadam fortunę blandientis, non autem ex virtutum meritis.

ambitio quos iuuenilis.] iuueniliter exſultantes, vt de Annibale Cato maior.

Poſt magnam.] poſt ingentem populorum ſtragem, & facultatum longè maximum diſpendium.

Cunctorum pœnas.] tandem pœnas ſui furoris & amentiæ luunt.



Furor

Furor & rabies.

EMBLEMA LVII.



ORA gerit clypeus rabioſi picta leonis,
Et ſcriptum in ſummo margine carmen habet
Hic hominum eſt terror, cuius poßeſſor Atrida:
Talia magnanimus ſigna Agamemno tulit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AGAMEMNON clypeum habuit, in quo depictus Leo conſpiciebatur: qui clypeus in Olympię fano per aliquot tempora perpendit, inſcriptione etiam adiecta:

οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Αγαμέμνων.

Terror hic eſt hominũ, quiq; hunc gerit, eſt Agamemnon.

Ducum certè ac militum immanitas ac ſæuitia ſignis militaribus non rarò arguitur. Quid enim ſignificãt in eiuſmodi

modi bellicis ſtemmatis vltures, gryphes, dracones, aquilæ, leones, quàm rapacitatem, deprædationem, internecionem, terrorem, & alia longè multa, quæ perpetuò ſanguinarios belli duces comitatur.

Et ſcriptum in ſummo] id vno nomine dicitur ἐπίγραμμα, vulgo Gallico *eſcriteau*.

talia ſigna.] tale ſymbolum.

In eos, qui ſupra vires quicquam audent.

EMBLEMA LVIII.



DVM dormit, dulci recreat dum corpora ſomno
Sub picea, & clauam cæteraq; arma tenet,
Alciden Pygmæa manus proſternere letho
Poſſe putat, vires non bene docta ſuas.
Excitus ipſe, velut pulices, ſic proterit hoſtem,
Et ſeui implicitum pelle leone ſ agit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

APOLOGVS hic in eos flectitur, qui licet tenuis fortunæ ſint, aut ingenio non perinde valeant, audent tamen potentiores, vel etiam doctiores inceſſere: quo ex conflictu nihil referunt præter noxam & dedecus. Meminit Apologi Marcellin. lib. 22. vbi de Iuliano Imp. à maledicis impetito: fruſtra (inquit) virum circumlatrabant, immobilem occultis iniurijs, vt Pygmæi, Thiodamas, agreſtis homo Lyndius cum Hercule. Hiſtoriam tamen malim peti à Philoſtrato in Imaginibus.

recreat dum corpora ſomno.] idem atque dormit. Virg.

——placidam per membra quietem Irrigat.

Alciden.] Herculem.

Pygmea manus.] pumilionum ſeu nanorum multitudo.

Poſſe] quod erat ἀδύνατον.

putat.] quod erat ἀνόητον, non ſpectata primùm ſua imbecillitate.

Excitus.] excitatus ſomno.

proterit.] facilè victoriam vir magnus de puſillis nanis retulit.



Impoſſi-

Impoſſibile.

EMBLEMA LIX.



A*BLVIS Æthiopem quid fruſtra? ah deſine: nocti*
Illuſtrare nigra nemo poteſt tenebras.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Aeſopi Apologo, & Luciani quodam Epigrammate, quod in eos dicitur, qui nulla corrigi arte poſſunt: vel in ea omnia, quæ fucata ſunt & ſimulata, vt inanem gloriam, non vitæ meritis, ſed corruptis hominum ſuffragijs emptam, cuius tamen ſimulacra omnia, vt ita dicam, tāquam floſculi celeriter decidunt: cum ſimulatum quicquam non poſſit eſſe diuturnum.

Aethiopem.] Maurum. Vnde Prou. Aethiops non albeſcit.

Cuculi.

EMBLEMA LX.



RVRICOLAS agreste genus plerique cucullos
Cur vocitent, quanam prodita caußa fuit?
Vere nouo cantat Coccyx, quo tempore vites
Qui non absoluit, iure vocatur iners.
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille
Cui thalamum prodit vxor adulterio.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CVCVLI nomen abusiuè in eos traductum est, quorum impudicæ sunt vxores: cum ij contra cuculi potius vocari debeant, qui vxores alienas adulterãt, spectato nimirum auis ingenio, quæ sua oua in nidis alienis ponere soleat.

Ruricolas agreste, &c.] Nondum mihi constat, cur plerique impingunt nomen cuculi rusticis quibusdam.

Vere

Vere nouo cantat.] Fortè quia cuculi peculiari conuicio dicebantur olim agricolæ, qui negligentes, ſocordes, tardiq́ue eſſent, quòd non priùs putaſſent vites, quàm cuculus canere cœpiſſet, ait Alciatus ipſemet 7. Parerg. c. 5. ex Plinio 10 9. & Horat. 1. Serm. 7.

Veſpertilio.

EMBLEMA LXI.



ASSVMPSISSE ſuum volucri ex Mineide nomen,
Socraticum auctores Chærephoonta ferunt.
Fuſca viro facies, & ſtridens vocula, tali
Hunc hominem potuit commaculare nota.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CHÆREPHON Athenienſis, Socratis diſcipulus, tam pertinaciter libris incubuit, vt nocturnis lu-

cubrationibus extenuatus maximum pallorem maciemque contraxerit, adeò vt vulgari ioco Noctua, aut, vt aliis placet, Vespertilio nominaretur. Id prouerbii legere est apud Aristophanem, in macilentum & pallore confectum.

Assumpsisse suum.] Chærephon, conuicio quodam publico, audit Vespertilio.

Fusca viro facies.] quòd esset fuscus, & voce stridula, fusca vox, φαία φωνὴ Polluci. huic opponitur canora.

Nota.] probro, conuicio. Nota dicitur probrum, inquit Nonius.

Aliud.

EMBLEMA LXII.

VESPERE quæ tantùm volitat, quæ lumine lusca est,
Quæ cùm alas gestet, cætera muris habet;
Ad res diuersas trahitur: mala nomina primùm
Signat, quæ latitant, iudiciumque timent.
Inde & Philosophos, qui dum cælestia quærunt,
Caligant oculis, falsaque sola vident.
Tandem & versutos, cùm clam sectentur vtrumque,
Acquirunt neutra qui sibi parte fidem.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID confinxit Emblema ex multiplici acceptione vocabuli Vespertilionis, quod ad res varias torquere solet eruditi homines. Primùm in debitores, qui ne in iudicium pertrahantur, & æs alienum cogantur exsoluere, ad modum vespertilionum lumen fugiunt, & in mediis noctis tenebris, & per amica silentia Lunæ volitant. Conuertitur etiam in tenebriones quosdam, qui sapientiam eam profiteri se fingunt, à qua sunt alienissimi. simulant enim

enim quod non ſunt; nec ſecùs ac volucres hæ plumarum loco membranas in aere motant, muribus non abſimiles: ita hi naturæ aut rerum obſcurarum arcana rimantur, ſed irrito conatu. Denique in verſipelles, & ſubdolos quoſdam dicitur, qui nulli factioni ſe addicunt, ſed cum vtraque parte colludunt: qui tamen cum ſoleant omnibus imponere, omnibus etiam ſuſpecti ſunt & inuiſi.

Veſpere qua tantum.] hinc Veſpertilioni nomen.

mala nomina.] debitores, qui non ſunt ſoluendo.

Caligant oculis.] nihil vident in iis, de quibus affirmant.

falſaq́; ſola vident.] Sic faſſus eſt Cicero 2. de natura. Deor. ſe facilius quid falſum ſit, videre, quàm verum agnoſcere.

verſutos.) ad malitiam callidos, inquit Nonius. vt de Catilina Cic. pro Cælio: Verſare ſuam naturam, & tegere ad tempus, atq; huc & illuc torquere & flectere.



Ira.

EMBLEMA LXIII.



ALCÆAM veteres caudam dixere leonis,
Qua stimulante iras concipit ille graues.
Lutea cùm surgit bilis, crudescit & atro
Felle dolor, furias excitat indomitas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ADMONEMVR iræ impetum cohibendum esse, omnesq; occasiones deuitandas, quòd ea perturbatio sic hominem extra se deiiciat, vt quasi transformetur in belluam ferocissimam.

Alcaam veteres.) quòd eius incitamento ad fortitudinem excitetur. i. ἀπὸ τοῦ δι' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν τρέπεσθαι.

Qua stimulante.) qua se mouente. Plin. 8. Leonum animi index cauda, vt equorum aures. Immota ergo placidus, clemens, blandientique similis, quod rarum est, crebrior

brior enim eius iracundia,&c.

Lutea bilis.] ἰσατώδης,glaſtea,acerrima, mordaciſſimaque, & quæ extremam inter genera bilis malignitatem obtinet.

crudeſcit.] crudus fit,durior & impotentior.

atro felle.] fel,iræ folliculus.

In eum qui ſibi damnum apparat.

EMBLEMA LXIIII.



CAPRA lupum non ſponte meo nunc vbere lacto,
Quod malè paſtoris prouida cura iubet.
Creuerit ille ſimul, mea me poſt vbera paſcet:
Improbitas nullo flectitur obſequio.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID petitum è Græco incerti auctoris,de capra lupi catulum lactante. De ingratis intelligitur, iiſque ma-

ximè, qui perniciem aut detrimentum afferunt de ſe bene meritis. quo genere ſceleris nullum aliud exſecrabilius, aut dignius ſupplicio. Quid enim deterius, quàm ijs vitam adimere, aut etiam afficere incommodis, qui nobis vitæ cauſſa fuerunt?

paſtoris malè prouida cura.] ποιμένος ἀφροσύνη.

ſimul.] vbi, poſtquàm.

Improbitas nullo.] Publius Mimus.

Maleuolus ſemper ſua natura vtitur. i. nullo beneficio ingrati animus mutatur.



Fatuitas

Fatuitas.

EMBLEMA LXV.



MIRARIS nostro quòd carmine diceris Otus,
Sit vetus à proauis cùm tibi nomen Otho.
Aurita est, similes & habet ceu noctua plumas,
Saltantemq; auceps mancipat aptus auem.
Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus otos:
Hoc tibi conueniens tu quoque nomen habe.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PLERIQVE gloriosuli suum nomen ab antiquo quodam & nobili genere trahunt, quanquam indignissimè, cum nulla sua virtute præclaro nomini respondeant. Proinde fit interdum, vt nomine leuiter, immutato vel detorto, dignam factis appellationem sortiantur: vt hic Otho gloriabundus quispiam & arrogans, non quidem ab Othone, vti iactabat, Imperatore, sed ab Otide, aue fatua, parasitica, captique facili.

diceris Otus.] vel Otis potiùs.
Aurita est.] Otis Aristot. in historia animal.
auceps aptus.] aucupandi doctus.
mancipat.] manu capit.
auem.] Otidem.

Obliuio paupertatis parens.

EMBLEMA LXVI.



CVM lupus esuriens mandit ceruarius escam,
Præq; fame captum deuorat hinnuleum,
Respiciat si fortè aliò vel lumina vertat,
Præsentem oblitus quem tenet ore cibum,
Quæritat incertam (tanta est obliuio) prædam.
Qui sua neglexit, stultè aliena petit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CERVARII lupi natura ea eſt, vt quamuis poſt longa ieiunia repertas ægrè carnes mandere cœperit, vbi quid caſu reſpexerit, obliuiſcatur, & copiæ præſentis immemor, aliud quærat. Teſtis eſt Plin. lib. 8. cap. 22. Idem contingit ambitioſis & auaris, qui ſpe honoris amplioris, aut etiam commodi alicuius, in quo ſit quæſtus vberior, neglecta præſenti ſorte, quærant aliam, ſitque ſæpenumero vt vtroq; fruſtrentur.

lupus ceruarius.] Lynx.
mandit,] mandere incipit.
hinnuleum.] fętum ceruinum.
incertam prædam.] quam nondum arripuit.



Superbia

Superbia.

EMBLEMA LXVII.



EN ſtatuæ ſtatua, & ductum de marmore marmor,
Se conferre Deis auſa procax Niobe.
Eſt vitium muliebre ſuperbia, & arguit oris
Duritiem, ac ſenſus, qualis ineſt lapidi.

EXPLICATIO CLAVD. MIN.

FIGMENTVM hoc Niobes ob inſolentem iactantiam in ſaxum rigens transformatæ, arguit potentiorum quarundam mulierum ſuperbiam, & immodicam arrogantiam, qua obcæcatæ ne ipſis quidem Superis ſubeſſe ſe putant, adeò vt ſuæ mortalitatis immemores incidant in miſeram quandam *ἀναίσθησιν*, & ſenſus vacuitatem.

ſtatuæ ſtatua.] expreſſa imago lapidea ex alia imagine ſaxea, in quam conuerſa Niobe.

ductum

ductum de marmore marmor.] marmoreum idolum è simulacro marmoreo: id est, Niobe marmorea.

procax.] petulans, conuiciatrix.

Se Dijs ausa conferre.] quæ numini ausa est obloqui, seque efferre supra hominum captum.

Est vitium mulieb.] solemne est mulieribus, quę sunt potentiores, superbire.

Impudentia.

EMBLEMA LXVIII.



PVBE tenus mulier, succincta latrantibus infra
Monstrorum catulis Scylla biformis erat.
Monstra putantur auarities, audacia, raptus:
At Scylla est, nullus cui sit in ore pudor.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HERACLIDES Ponticus, qui allegorias ſcripſit in Homerum, ait per Scyllam ſignificari omnis generis impudentiam, quæ non ab re cingatur canum rictibus, audacia, rapina, auaritia.

mulier.] ὡς σημεῖον τῆς ἀνοίας οὐκ ἐλάχιστον : quod non minimum amentię ſignum, ait Galen. προτρεπτικῷ ἐπὶ τέχνας.

pube tenus.] impudentiæ nota.

ſuccincta latrantibus.] inferiore ſui parte cincta quaſi canibus monſtroſis.

Scylla biformis.] ſupernè fęminam referens, infernè in caninos rictus deſinens.

Monſtra putantur] auiditas, temeritas, rapina, ſeu rapacitas.

At Scylla.] ipſamet eſt τῆς ἀναιδοίας typus ſeu imago.



Φιλαυτία

Φιλαυτία.

EMBLEMA LXIX.



QVOD nimium tua forma tibi Narcisse placebat,
In florem, & noti est versa stuporis olus.
Ingenij est marcor, cladesq; Φιλαυτία, doctos
Quæ pessum plures datq; , deditq; viros:
Qui veterum abiecta methodo, noua dogmata quærunt,
Nilq; suas præter tradere phantasias.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NVLLA deterior ingeniorum pestis, quàm nimia sui admiratio & confidentia, quæ eam menti caliginem inducit, vt assentatione omni deterior neglig ẽtem, superbum, otiosum, & aliorum cõtemptorem hominem reddat; adeò vt nisi quod ipse faciat, vel doceat, nihil rectum putet. Bene Seneca libello, De vitæ tranquillita-

te:

te: Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi pu-tassent se peruenisse.

Quod nimium.] descriptio φιλαύτȣ.

In florem.] tibi cognominem, quæ Narce dicitur, & stuporem sonat. Illius odor caput aggrauat, Plin. 21. cap. 5. & 11. 29.

Ingenij est marcor.] φιλαυτία inducit ingenio quasi marcorem & exitium.

doctos qua pessum.] quod vitium permultos ingenio præditos omnino perdidit.

Qui veterum abiecta.] qui à veterum doctrina, docendique ratione desciscentes, nouam quandam sectam induxerunt.

Nilq; suas præter.] ijque nihil aliud tradere voluerunt, quàm quod eorum dictabat libido.



Garrulitas.

litas.

EM [illegible] A L X X.



QVID matutinos Progne mihi garrula somnos
Rumpis, & obstrepero Daulias ore canis?
Dignus Epops Tereus, qui maluit ense putare,
Quàm linguam immodicam stirpitus eruere.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID mutuatus est ex Oda quadam Anacreontis in hirundinem somnos matutinos interrumpentẽ. quod in eos flectitur, qui sapientibus & sedatis viris importuna sua garrulitate negotium facessunt. Et quidem vsu venire solet, vt quibus est rationis inopia maior, sint loquaciores alijs: quia cum loquendi tempus nesciant, passim & vbique obstrepant.

matutinos somnos.] qui sunt longè suauissimi. Hic in

tellige otium quietum, & à contentione laborum vacationem: quæ tamen quies interrumpitur aliquando importuna quorundam nugacitate.

Progne garrula.] hirundo, ſymbolum garrulitatis. Notum prouerb. Hirundinem ſub eodem tecto ne habeas.

obſtrepero Daulias ore.] Luſcinia.

Dignus Epops Tereus.] meritò in vpupam mutatus, qui Progues linguam ſcindere, quàm omninò auellere maluit. Ouid. 6 Metam. Plin. 10. 29.

putare.] ſcindere.



Inuidia

Inuidia.

EMBLEMA LXXI.



SQVALLIDA *vipereas manducans femina carnes,*
Cuiq; dolent oculi, quæq; suum cor edit,
Quam macies & pallor habent, spinosaq; gestat
Tela manu: talis pingitur Inuidia.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ELEGANS Inuidiæ descriptio ex effectis, adiunctisq; quibus ostenditur eum, qui laboret inuidia, virulentis cogitationibus pasci, aliorum prosperis successibus ingemiscere, animum mœrore cõficere, corpus macie & pallore confectum reddere, aculeis maledicis alios insectari.

femina.] Rectè femina Inuidia: vel quia id contumeliosum nomen: vel quòd non cadat id vitium nisi in ani-

mos molles, parumque viriles.

squallida.] sordida, inculta.

vipereas carnes.] Ouid. 2. Metam. de Inuidia,

——videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum.

Cuiq; dolent oculi.] Virgil. Epigrammat.

Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat, gemit.

Quæq; suum cor edit.] Prouerb. Pythagoræ: Cor ne edito. i. ne curis animum excrucies. Et cura dicitur, quòd cor edat. Maro:

——Tityiq; vultur intus,
Qui semper lacerat, comestq; mentem.

Quam macies.] Ouid. ibidem:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

Virgil. *Pallor terribilis genas colorat.*

spinosaq; gestat Tela.] Ouid. eodem 2. lib.

Indoluit, baculumq; capit, quem spinea tortum
Vincula cingebant.



Luxuria.

EMBLEMA LXXII.



E*RVCA capripes redimitus tempora Faunus*
Immodicæ Veneris ſymbola certa refert.
Eſt eruca ſalax, indexq́ libidinis hircus:
Et Satyri Nymphas ſemper amare ſolent.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HAEC ſunt fœdę libidinis expreſſiſſima ſymbola. Satyrus, ſiue hircus (animal ſalaciſſimum, & ad Venerem maximè pronum) capite geſtans erucam, herbam virtutis calidiſſimę (ab vrendo dictam) ſignificat luxuriam putidam & olentem eſſe in actu, & in affectu ardentem.

Eruca.] herba naturæ calidæ. Plin. 19. 8.

capripes Faunus.] caper luxurię nota.

redimitus.] cinctus anteriores capitis partes.

Immodicæ.] nam Venus moderata laudatur aliàs, vt naturalis.

salax] ad libidinem prouocans.

Et Satyri Nymphas.] Pausanias Atticis, de insulis Satyrijs. Aelian. 3. histor. omnigenæ.

Luxuriosorum opes.

EMBLEMA LXXIII.



RVPIBVS *aeriis, summiq́ crepidine saxi*
Immites fructus ficus acerba parit:
Quos corui comedunt, quos deuorat improba cornix,
Qui nihil humanę commoditatis habent:
Sic fatuorum opibus parasiti & scorta fruuntur,
Et nulla iustos vtilitate iuuant.

EX-

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc ex apophthegmate Diogenis. Dicebat enim eos, qui profusè & temerè bona decoquerent, opesque insumerent in rebus Venereis, conuiuijs magnificis, & id genus alijs, esse arboribus similes in montium cacumine nascentibus, quarum fructus essent hominibus inutiles, à coruis aut vulturibus deuorandi.

Rupibus aerijs, &c.] Rupes, seu saxum, imperiti & stolidi symbolum. aer, pro ventoso. crepido, pro fortunę summo gradu.

Immites fructus.] καρποὺς ἀκάρπους.

corui.] improbi quique impostores, nigri homines, quos fugiendos esse monuit Horatius.

improba cornix.] vt lena, scortillum.

Qui nihil hum. comm.] qui non subseruiant hominum vsibus, quanquam omnia hominum causa facta. Et bona dicuntur à beando. Beare, est prodesse, seu beatum facere. Hinc χρυσοὶ ἄνδρες, viri boni & salutares.

fatuorum.] insipidorum, improuidorum, nulla penè mente, nulloque ingenio præditorum.

parasiti.] alienæ quadræ assueti, scurræ vagi.


scorta.] meretriculæ.

iustos.] viros bonos. Nomine Iustitiæ, virtutes omnes complectimur, ex Plat. Dialogo, qui ἐρασαὶ inscribitur.



Tumulus meretricis.

EMBLEMA LXXIV.



QVIS tumulus? cuia vrna? Ephyræa est Laidos. ah: nō
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma. illam iam carpserat ætas,
Iam speculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid scalptus sibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprehensum posteriore tenet?
Non aliter captos quòd & ipsa teneret amantes:
Vir gregis est aries, clune tenetur amans.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SEPVLCRO Laidis, scorti nobilissimi, leæna est efficta partibus posterioribus arietem cōplexa, quod procacitatem petulantiamq; meretricis indicabat. Aries enim, animal stolidissimum, ita scalptum à Leæna, re-

præ-

præſentat amatorem fatuum & ſtolidum, qui blandæ & doloſæ dominę ſubſeruiat, quiq́; ſuā ſeruitutem, quàm ſit miſera, non ſentiat. Leæna meretricem arguit.

Quis tumulus?] cuius hoc ſepulcrum?

Ephyraa eſt Laidos.] famoſæ meretricis.

non erubuit.] ei etiā tam formoſæ auſa eſt mors inijcere manum?

Nulla fuit tum forma] iam in ſenium vergebat.

illam iam carpſerat atas.] inclinans ęuum iam nitorem formæ ademerat.

Iam ſpeculum.] coacta erat amores teneros alijs iunioribus permittere.

Quid ſcalptus.] quid per arietem ſcalptum à Leęna, quem arreptum vnguibus poſteriore parte detinet?

Non aliter captos.] eò quòd ſciret ineſcare & capere miſeros amaſios.



In amatores meretricum.

EMBLEMA LXXV.



VILLOSÆ indutus piſcator tegmina capræ,
Addidit vt capiti cornua bina ſuo;
Fallit amatorem ſtans ſummo in littore ſargum,
In laqueos ſimi quem gregis ardor agit.
Capra refert ſcortum: ſimilis fit ſargus amanti,
Qui miſer obſcœno captus amore perit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PRIMA huius comparationis pars ſumpta eſt ab Aeliano, lib De animalib. 1. cap. 23. Vt ſargus piſcis facilè à piſcatore capitur, ſi caprinam pellem induerit (genus enim hoc piſcis inſtinctu quodam naturæ, amore caprarum detinetur) ita deperit amaſius viſa quadam formoſula, vel potius laruata capra, cuius laqueis irretitus,

titus, vix se inde potest extricare.

Villosa indutus.] Piscator indutus caprinam pellem pilosam.

addidit vt capitis.] additis capiti duobus quasi cornibus.

amatorem.] amore capræ detentum.

stans summo in littore.] hærens piscator ad litus eo cultu.

In laqueos simi quem.] quem ad retia pellicit amor ille capræ. Simus grex.i.caprarum, quæ simę.

Capra refert scortum.] meretriculę similis capra, sargus amasio.



Cauen-

Cauendum à meretricibus.

EMBLEMA LXXVI.



SOLE ſata Circes tam magna potentia fertur,
Verterit vt multos in noua monſtra viros.
Teſtis equum domitor Picus, tum Scylla biformis,
Atque Ithaci poſtquàm vina bibere ſues.
Indicat illuſtri meretricem nomine Circe,
Et rationem animi perdere, quiſquis amat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SCRIBIT Homerus Odyſſ. κ. ſocios aliquot Vlyſſis virga percuſſos à Circe, epotoq; pharmaco venefico, ſtatim in porcos eſſe transformatos. Quo figmento adumbratur meretricis, & libidinis fœdæ typus. ea enim ſuis præſtigijs humanas illas cogitationes, & naturales motiones (quæ ὁρμαὶ Græcis dicuntur) in homine tumultuantes excitat impotenter, mutatque in deterius: ex

quo

quo fit, vt homo, diuinę naturæ particeps, in belluam degeneret. Per Vlissem, qui nullo veneficio à pristino mentis statu dimoueri potest, constantem animi ducem rationem intelligimus.

Sole satę.] filiæ Solis.

potentia.] vis.

Verterit vt multos.] Homer. Odiss. κ.

Testis equum domitor.] Virg. 7. Ouid. 14. Metamor.

Scylla biformis.] de qua paullò ante.

Atq; Ithaci.] Vlyssis socij, de quorum transformatione alio loco.

Et rationem animi.] Hinc Venus ἀφροδίτη dicta, quasi ἀφροσύνη .i. stultitia, mentisq; priuatio.



Amuleum Veneris.

EMBLEMA LXXVII.



INGVINA dente fero suffosum Cypris Adonin
Lactucæ folijs condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum lactuca resistit,
Quantum eruca salax vix stimulare potest.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

VENVS fingitur mortui Adonidis genitalia lactucis recondidiſſe, vt moneamur libidinem, turpemque voluptatem ciborũ moderatorum vſu ſopiendam & reprimendam eſſe. Nihil enim æquè conducit ad motus illicitos cohibendos, quàm victus ratio temperata. Eruca calefacit, Veneremque incitat: Lactuca verò contrà, herba frigidæ qualitatis.

Inguina dente.] Venus exanimatum iam Adonidem amaſium, qui apri dente confoſſis inguinibus perijt, tumulo

mulo mandauit in lactucæ folijs.

genitali aruo.] facultati illi genitali, quæ nominatur Genitale aruum, pro pudendis partibus, aptisque ad generandum: vt Virgil. 3. Georg. & D. Augustin. 18. c. 23. De ciuit. Dei.

lactuca resistit.] Plin. & Caſſ. Dyoniſ. 12. de agric. cap. 13.

eruca ſalax.] de qua paullò ante.

Inuiolabiles telo Cupidinis.

EMBLEMA LXXVIII.



Ne dirus te vincat amor, neu femina mentem
Diripiat magicis artibus vlla tuam:
Bacchica auis praſtò tibi motacilla paretur,
Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
Ore crucem & cauda, & geminis vt complicet alis,
Tale amuletum carminis omnis erit.

Dicitur

Dicitur hoc Veneris signo Pagasæus Iason
Phasiacis lædi non potuisse dolis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Homero & quibusdam scholiastis tradit amuletum ad arcendas amoris illecebras (quo nullum magis exitiosum aut furiosus præstigium) nempè adhibendam motacillam humano stomacho, quæ disponatur inter binos circulos sese quasi intersecantes. Eam auiculam aiunt esse veneficis mulieribus ad incantationes perutilem: quam etiam à Venere primùm è cęlo ad homines deportatam, & Iasoni traditam volunt, vt Medeam alliceret. Sed par non est haberi fidem ei præstigio: quin potius ita statuamus, venenum veneno pelli, & amore amorem sisti atque coerceri, id est, otiosum animum aliquo labore obstringendum, ne turpi voluptati corporis aurem præbeat.

Ne dirus te vincat amor.] ne amoris laqueis te irretiri patiaris.

neu femina.] ne ve mulier quædam venefica animum tuum Magicis artibus præpediat.

præstò Motacilla.] habe præstò Motacillam, auem Baccho sacram.

Quam quadriradiam.] quam locabis in medio orbis circulo, ita vt vtraque ala & pedibus quasi crucem referat.

Tale amuletum.] Istud erit paratissimum amuletum ad impediendam vim omnem carminum Magicorum.

Dicitur hoc Veneris signo.] Pindar. Oda 4. Pyth.

Pagasæus.] à Pagasa, vrbe Thessaliæ. sic etiam nominatur Ouid. 1. Fastor.

Phasiacis dolis.] Medeæ incantationibus.



Lasciuia

Lasciuia.

EMBLEMA LXXIX.



DELICIAS & mollitiem mus creditur albus
Arguere, at ratio non sat aperta mihi est.
An quòd ei natura salax & multa libido est?
Ornat Romanas an quia pelle nurus?
Sarmaticum murem vocitant plerique Zibellum,
Et celebris suaui est vnguine muscus Arabs.

EXPLICAT, CLAVD. MIN.

MOLLITIES notatur nobilium quarundam matronarum, quæ ad corporis ornatum ostentent raras pelliculas animalculorum, vt muris aranei, æluri zibellini (felis libidinosissimi) vtanturque suffitu musci Arabici. Quæ omnia, vt vno verbo, symbola possunt esse rei Venereæ.

Delicias & mollitiem.] mollitudinẽ, luxũ, libidinẽ.

mus albus.] Prouerb. mus albus.
Arguere.] ſignificare.
ſalax.] ad libidinem excitans.
Romanas nurus.] matronas.
Sarmaticum murem.] de quo Aelian. 12. 10.

Deſidia.

EMBLEMA LXXX.



DESIDET *in modio Eſſaus, ſpeculatur & aſtra,*
Subtus & accenſam contegit igne facem.
Segnities ſpecie recti velata cucullo.
Non ſe, non alios vtilitate iuuat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NOMINE Eſſæi deſidentis, in cœlum oculos flectentis; ſub modio faculam ardẽtem obtegentis, ij deſi-

designantur apud nos, qui vitam piam & contemplatiuã prætexentes ociantur, ingenij lumen extingui sinunt, nil sibi nec alijs vtiles.

Desidet in modio.] ignauam vitam ducit.

speculatur & astra.] vt qui religionem profiteatur, θεωρητικὴν quandam præ se ferens.

Subtus & accensam.] tegit faculam sub modio; vires ingenij non exserit, sed hebescere patitur.

Segnities specie.] qualis cęnobitarum quorundam.

Non se, non alios.] Prou. Nec sibi nec alijs vtilis.



Desidiam abijciendam.

EMBLEMA LXXXI.



QVISQVIS iners, abeat. nam in chœnice figere sedem
Nos prohibent Samij dogmata sancta senis.
Surge igitur duroq; manus assuesce labori;
Det tibi dimensos crastina vt hora cibos.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

MONVIT Pythagoras chęnici non insidendum, id est, non esse cibum alienum per inertiam sectandum, neq; in alienis sportulis vitam collocandam, vt sede in eis statuta, totum ætatis tempus otiosè traducamus, sed aliquam ineamus rationem, vt nostra industria victum comparemus, neque semper ab aliorum pendeamus ope.

in chœnice figere sedem.] feriari ob spē demensi diurni.
Nos prohibent.] prohibemur ex Pythagoræ symbolis.
manus assuesce labori.] apta & compone te ad laborē.

In

In facilè à virtute desciscentes.

EMBLEMA LXXXII.



PARVA velut limax spreto Remora impete venti,
Remorumque, ratem sistere sola potest:
Sic quosdam ingenio & virtute ad sidera vectos
Detinet in medio tramite caussa leuis.
Anxia lis veluti est, vel qui meretricius ardor
Egregiis iuuenes seuocat à studiis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

QVI sunt ingenio lubrico, parumque constanti, mentem suam ab honesto quodam instituto vitæ auocari facilè permittunt. Sic enim cœptis cum aliqua laude rebus, magno suo damno renuntiant, vel controuersiæ aut litis mouẽdæ tricis abstracti, vel quibusdam illecebris amasiæ alicuius deliniti. Ducitur similitudo à

natura remoræ pisciculi, quę nauem vel maximam sistat: vt Plin. testatur lib. 9. cap. 25.

spreto impete.] impetu. Gell. 19. 7.

ratem sistere potest.] Plin. 9. 25.

ad sidera vectos.] summum iam honorem consecutos.

in medio tramite.] instituto iam bene inchoato.

Ignaui.

EMBLEMA LXXXIII.



IGNAVI Ardeolam stellarem effingere serui
Et studia, & mores, fabula prisca fuit:
Quæ famulum Asteriam volucris sumpsisse figuram
Est commenta: fides sit penes historicos.
Degener hic veluti qui ceuet in aere Falco est,
Dictus ab antiquis vatibus Ardelio.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

IN vetere quadam fabula inductus erat seruus aliquis fatuus, & nihil non satagens, qui Asteriç, vel Ardeolæ stellatç figuram repræsentare conaretur, vt mores & conatus Ardelionum exprimeret. Ij satis mouent sese, sed nihil vnquam promouent: nihilque agunt, sed tantùm satagunt, ad modum Falconis degeneris & adulterini, qui cit tantùm ceuentis in aere motus. Ij vulgato nomine Ardeliones appellantur: quo hominum genere nullum impudentius, aut ineptius.

Ignaui serui.] nullam ad operam vtilis.

Ardeolam stellarem.] Ardeolarũ tria genera, Leucon, Asterias, Pellos. Plin. 10. 60.

fabula prisca.] Aristot. histor. animal. 9. 18.

ceuet.] alas agitet, volare contendat. Aliàs ceuere, verbum obscęnum..



Auaritia.

EMBLEMA LXXXIV.



HEV miser in medijs sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.
Nomine mutato de te id dicetur auare,
Qui, quasi non habeas, non frueris quod habes.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AB Horatio & Petronio Arbitro sumpta hęc imago Tantali, de auaro intelligitur, magnas inter opes inope, qui hac in vita iam suos manes patitur, cuique nihil aliud mali optare possis, nisi vt viuat diu.

Heu miser.] verè quidem & sponte miser.

miser Tantalus.] ταλάντατος.


sitiens.] nunquam expletur cupiditatis sitis: proinde cum hydrope comparatur auarus. Horat. 2. Carm. 2. & 1. Serm. 1.

medijs

medijs in vndis.] opibus & facultatibus, quæ sunt fluxæ caducæq. hinc ductum puto verbum *abundare*. &c.
stat.] nunquam sedet, nec conquiescit.
poma proxima.] res partas.
Qui, quasi non habeas.] Tam deest auaro, quod habet, quàm quod non habet. citatur ex D. Hieronymo.

In Auaros.

EMBLEMA LXXXV.



SEPTITIVS populos inter ditissimus omnes,
Arua senex nullus quo magis ampla tenet;
Defraudans geniumq́ suum, mensasq́ paratas,
Nil præter betas duraq́ rapa vorat.
Cui similem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
An ne asino? sic est: instar hic eius habet.
Namque asinus dorso pretiosa obsonia gestat,
Seq́ rubo aut dura carice pauper alit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc à Plutarcho mutuatus, libello περὶ εὐθυμίας. dicitur in auarum, qui asinina quadam stoliditate vtatur cibis rancidis, pane murido, laido iam penè corrupto, vappa improbè vescatur, cum ei opes affatim suppetant.

populos inter ditiß.] inter suos populares omnes locupletissimus, vt ille apud Pers. 4. Satyr.

Diues arans Curibus, quantum non miluus oberret.

Et Horat. *Diues agris, diues positis in fœnore nummis.*

Arua quo magis ampla.] id vno verbo, locuples.

senex] Quid verò turpius (ait Cato apud Cic.) auaritia senili? &, quò minus viæ restat, eò plus viatici quærere?

Defraudans genium.] naturæ subtrahens quod appetat. Prouerb. Plautinum.

betas duraq; rapa.] viles & contemptos cibos.

Seq; rubo aut dura.] Prouer. Asinus mauult stramina quàm aurum.



In aulicos.

EMBLEMA LXXXVI.



V*ANA Palatinos, quos educat aula, clientes;*
Dicitur auratis nectere compedibus.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EA eſt aulicorum vita miſerè ſplendida, vt aureis compedibus vincti teneantur, nec poſſint effugere: quod de Ariſtippo dictitabat irriſor Diogenes. Qua ſeruitute nihil abiectius aut miſerius, cum ſint illi animo fracto demiſſoq; qui mancipiorum inſtar, ad aliorum nutum viuere & adblandiri cogantur.

Vana Palatinos.] qui aulam aſſectantur aulici, quanquam populari iudicio beati, vincti tamen ſunt, retinenturque aureis compedibus.

vana aula.] epitheton veriſſimum, quę inani ſępè ven

to

to suos asseclas pascat.

auratis compedibus.] Prouerb. Aureæ compedes.

In sordidos.

EMBLEMA LXXXVII.



QVÆ rostro, clystere velut, sibi proluit aluum
Ibis, Niliacis cognita littoribus,
Transijt opprobrij in nomen: quo Publius hostem
Naso suum appellat, Battiadesq́ suum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

VT Ibis, auis Aegyptia, rostri aduncitate per eam se partem proluit, qua reddi ciborum onera maximè salubre est, ait Plinius 8.c.27. Sic plerique, quod vulgò dici solet, podicem ex ore faciunt, qui nimia verborum licentia vtuntur quiq; putidè loquuntur, eaq; etiam detegunt, quæ prouida natura voluit esse tecta.

Niliacis cognita.] in Aegypto nota. Arist. 9. anim. hist.

opprobrij

opprobrij in nomen.] in probroſam appellationem ſordidorum & obſcœnorum.

Publius Naſo.] Elegia in Ibim.

Battiades.] Callimachus.

In diuites publico malo.

EMBLEMA LXXXVIII.



ANGVILLAS quiſquis captat, ſi limpida verrat
Flumina, ſi illimes auſit adire lacus,
Caßus erit, ludetq́ operam: multum excitet ergo
Si cretę, & vitreas palmula turbet aquas:
Diues erit: Sic ijs res publica turbida lucro eſt,
Qui pace, arctati legibus, eſuriunt.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTVM id ex Aeſopico apologo, cuius etiam meminit Ariſtophan. Equitibus. In eos conuertitur, qui

qui tum maximè quæstum faciunt, cum patria seditione, vel intestinis odijs laborat. Id dicitur vulgo, *in aqua turbida piscari.*

si limpida verrat.] si sit aqua limpida, & illimis. i. absq; limo lutoq;

Cassus erit, ludetq; operam.] nihil capiet.

multum excitet ergo si creta.] si multum arenæ vel sabuli, aut cęni limive excitarit.

& palmula turbet aquas.] aquaque omnis turbetur. palmula, remi extrema pars.

turbida.] tempore tumultus aut belli.

pace.] pacis tempore.

arctati legibus.] coacti, retentique iugo legum ciuilium.



In

In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur.

EMBLEMA LXXXIX.



DELPHINI insidens vada cerula sulcat Arion,
Hocq; aures mulcet, frenat & ora sono.
Quàm sit auari hominis, non tam mens dira ferarum est:
Quiq; viris rapimur, piscibus eripimur.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Græco Bianoris, in 1. Epigrammaton. flectitur in crudelem & insatiabilem hominum auaritiam, qui in vitam hominũ conspirare non dubitant, quò eos bonis omnibus spolient. Ex quo discimus, mitiores interdum esse feras in hominem, quàm ipse homo in genus suum existat.

vada

vada cærula sulcat.] mare cæruleum nauigat.

Hocq́ue sono.] lyræ suæ modulis.

aures mulcet.] Delphini. Virgil. dixit in 1.

Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Pacuuius, mulcere laudibus, pro mollire, seu lenire, vt vult Festus.

frenat & ora.] retinet os Delphini, ipsumq́ue mitefacit.

rapimur.] opprimimur, lædimur, de medio tollimur. Rapere, ad vim pertinet.

eripimur.] liberamur, seruamur. Virgil. 6.

Eripe me his inuicte malis.



Gula.

EMBLEMA XC.



CVRCVLIONE gruis, tumida vir pingitur aluo,
Qui Laron, aut manibus gestat Onocrotalum:
Talis forma fuit Dionysi, & talis Apici,
Et gula quos celebres deliciosa facit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HAC imagine depinguntur lurcones, gulosi, helluones, quibus tribuit collum gruis, quod sibi dari optabat Philoxenus: ventrem maximè prominentem, cum duabus auiculis edacissimis, Laro, & Onocrotalo.

Curculione gruis] collo gruis. Nam propriè curculio, vermis edacissimus, quasi gurgulio dictus: quo nomine notati etiam parasiti quidam.

aluo tumida.] ventosus. φύσκων καί γάστρων.

L *Laron.*

Laron.] Gauiam, auiculam edacissimam. Prouerb. Larus hians.

Onocrotalum.] rapacem auem, quæ duplicem videtur habere vterum, vnum naturalem, in faucibus alterum. Plin. 10.47.

Talis forma Dionysi.] Athenæus 1. Dipnos. 3. Plin. 9. 17.

Et gula quos celebres.] vt Gnatho Siculus Gallonius, Aesopus, Claud. Albinus, Abron. alijque.



Ocni effigies, de ijs qui meretricibus donant, quod in bonos vſus verti debeat.

EMBLEMA XCI.



IMPIGER haud ceſſat funem contexere ſparto,
Humidaq́ artifici iungere fila manu.
Sed quantum multis vix torquet ſtrenuus horis,
Protinus ignaui ventris aſella vorat.
Femina, iners animal, facili congeſta marito
Lucra rapit, mundum prodigit, inq́ ſuum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Pauſaniæ Phocicis. Ocnus texens è iunco reſtim vel funem, quam aſella propè aſtans confeſtim voret, gnauum & induſtrium hominem notat, qui vxorem habet, quæ ſtatim dilapidet & abſumat, quicquid ille ſuo labore conquiſierit; vt eſt mulierum quoddam genus ma

ximè ſumptuoſum & prodigum.

Impiger.] non intermiſſo labore.

ſparto.] geniſta.

Protinus.] porrò ac ſine intermiſſione, continuò. Nonius.

ignaui ventris.] πολυτελὴς γυνὴ. ſic apud D. Paulum Cretenſes dicti γαςέρες ἀργοὶ.

Fœmina, iners animal.] Idem Satyr. 6. Iuuenal.

Prodiga non ſentit pereuntem femina cenſum, &c. vide Prouerb. Mulieris podex.

mundum ſuum.] muliebrem. Gell. 4. 1.



In

In Parasitos.

EMBLEMA XCII.



QVOS tibi donamus, fluuiales accipe cancros;
Munera conueniunt moribus ista tuis,
His oculi vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximaq; aluus adest:
Sic tibi propensus stat pingui abdomine venter,
Pernicesq; pedes, spiculaq; apta pedi.
Cùm vagus in triuiis, mensæq; sedilibus erras,
Inq; alios mordax scommata falsa iacis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID torquetur in mordacem quendam scurram, ventrionem, alienę quadræ semper assuetum, mordacibus dictis in alios citra discrimen vtentem.

fluuiales cancros.] fluuiatiles.

forfice plurimus ordo.] pedes habent cancri multiplices, qui ſunt in modum forficis. Chelæ, ſunt eorum brachia. Lege Plin. 9. 31.

ſtat pingui abdomine.] venter pinguis. Abdomen eſt ſpinæ adhęrens pinguedo. Iuuenal.

——venter adeſt abdomine tardus.

Cum vagus.] Horat. 1. Epiſtol.

Scurra vagus, non qui certum præſepe teneret, &c.

menſa ſedilibus erras.] Epitheta hinc Gręcorum multa, vt τραπεζυλοιχὸς, qui menſas lingat. θυράπαξ, & θυράρπαξ, quòd foribus inſidietur alienis. Prou. Sartaginum pernicies.



Paruam

Paruam culinam duobus ganeonibus non sufficere.

EMBLEMA XCIII.



IN *modicis nihil est, quod quis lucretur: & vnum*
Arbustum geminos non alit Erithacos.

ALIVD.

IN *tenui spes nulla lucri est: vnoq; residunt*
Arbusto geminę non bene Ficedulæ.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NON est multum lucri sperandum ex negotijs minimis, & in quibus quanquam multum laboris & operæ collocetur, tamen fructus inde parum capitur, presertimque si sit consors in eadem administratione. hinc adagia: Vno in ramo non bene sedent duę Ficedulæ: & vnum arbustum non alit duos Erithacos.

In modicis.] rebus, vel negotijs.
Erithacos.] Rubeculas. Plin. 10. 20.
In tenui spes.] Prouerb. Tenuis spes.
Ficedulæ.] à ficubus edendis, cum tamen vescantur vuis. Plin. 10. 29.

Captiuus ob gulam.

EMBLEMA XCIIII.



REGNATORque penus, mensæque arrosor herilis
Ostrea mus summis vidit hiulca labris.
Queis teneram apponens barbam, falsa ossa momordit:
Ast ea clauserunt tacta repentè domum;
Deprensum & tetro tenuerunt carcere furem,
Semet in obscurum qui dederat tumulum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Apologo Aesopi, dicitur in eos, qui lautioris victus ergo, in opulentiorum domos irrumpunt, vnde nihil præter damnum, aut etiam interitum consequantur. Vel in eos, qui luxus & gulæ intemperantia mortem præproperam sibi accersunt, quiq; vt vulgus Gallorum loquitur, suum in dentibus tumulum faciunt.

Regnator penus.] mus incolens penus. de nomine hoc Gellius 4 c. 1.

mensæ arrosor herilis.] assuetus rodere mensas heri, seu patrisfamilias.

hiulca.] hiantia. De ostreis Plin 32.6.

falsa ossa.] testam ostreæ, quam ossa esse putabat.

Domum.] suam testam.

Deprehensum furem.[murem ἐπ' αὐτοφόρῳ.

Semet in obsc.] qui semet coniecerat in id discrimen.



In garrulum & gulosum.
EMBLEMA XCV.



VOCE *boat torua, prælargo est gutture, rostrum*
Instar habet nasi, multiforisq; tubæ.
Deformem rabulam, addictum ventriq; gulæq;
Signabit, volucer cùm Truo pictus erit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PETITVM id ex Clementis Alexandrini 2. Pædagog. cap. 1. Qui animum in aluo defodit, pisci qui asellus dicitur, maximè similis. Accommodatur in quosdam rabulas forenses, qui suo incondito clamore videntur aerem turbare, cum dent sine mente sonum, omniaque interea ad ventrem & ingluuiem referant.

Voce boat torua.] quod est λαρυγγίζειν, vt habet Prouerbium, Intenta voce clamat Onocrotalus, siue Truo.

rabulam.] Vide Nonium in Rabula.

addictum ventriq; gulæq; γλωσσογάστορα, vt nominatur à Polluce Onomast. 2.

Docto-

Doctorum agnomina.

EMBLEMA XCVI.



MORIS vetusti est, aliqua professoribus
Superadijci cognomina.
Faciles apertosq; explicans tantùm locos,
Canon vocatur Curtius.
Reuoluitur qui eodem, & iterat qui nimis,
Maeander, vt Parisius.
Obscurus & confusus, vt Picus fuit,
Labyrinthus appellabitur.
Nimis breuis, multa amputans, vt Claudius,
Mucronis agnomen feret.
Qui vel columnas voce erumpit, Parpalus,
Dictus Truo est scholasticis.
Contra est vocatus, tenuis esset Albius
Quòd voce, vespertilio.
At vltimas mutilans colobotes syllabas,

Hirundo

Hirundo Craßus dicitur.
Qui surdus aliis solus ipse vult loqui,
Vt sturnus in prouerbio est.
Hic blæsus, ille raucus, iste garriens:
Hic sibilat ceu vipera.
Tumultuatur ille rictu & naribus,
Huic lingua terebellam facit.
Singultit alius, atque tussit hæsitans.
At conspuit alius, vt psecas.
Quàm multa rebus vitia in humanis agunt,
Tam multa surgunt nomina.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

VIDETVR id ab Alciato confictum, ex scholarum iuris consuetudine in eos Doctores, qui pro varijs in docendo vitijs varia sunt agnomina sortiti. Fit enim sæpenumerò, vt citius vitia quàm virtutes in ijs obseruemus, qui publicè docent, ioculari quadam lasciuia, vt est quorundam in conuiciando natura procax.

Moris vetusti.] in scholis potissimum iuris.

cognomina.] ad laudem aliquam, seu vituperium.

Reuoluitur qui eodem.] qui se implicat, eodemque redit, vnde digressus erat.

Mæander.] flexuosus, obliquus.

Labyrinthus.] quòd se bellè non explicet, nullaq; vtatur methodo.

Nimis breuis.] Breuitas, qua necessaria prætermittuntur, est in vitio, vt fortè fuit Claudius Cantiuncula.

Qui vel columnas.] Prouerb. Columnas rumpere.

Truo.] de qua aui supra.

tenui quòd voce.] vt Chærephon Socratic. de quo ante iam.

colobotes.] mancus, decurtatus. κολοβόω, comminuo & trunco.

sturnus.] de hac aui Plin. 10. 24.

ceu

ceu vipera.] ſerpens.

pſecas. a ſtillicidium, vel gutta, aut ſtilla è tectis decidens.

Quàm multa] quot vitia, tot vocabula & nomina conuiciosa fingi poſſunt.

Natura.

EMBLEMA XCVII.



PANA colunt gentes (naturam hoc dicere rerum eſt)
Semicaprumq́ hominem, ſemiuirumq́ Deum.
Eſt vir pube tenus, quòd nobis inſita virtus
Corde oriens, celſa verticis arce ſedet.
Hinc caper eſt, quia nos natura in ſecla propagat
Concubitu, vt volucres, ſquamea, bruta, feras.
Quod commune aliis animantibus, eſt caper index
Luxuriæ, Veneris ſignaq́ aperta gerit.
Cordi alij ſophian; alij tribuere cerebro:
Inferiora modus, nec ratio vlla tenet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NOMINE Panos, natura significatur hominis. Pan enim pro Deo habitus, superiore sui parte hominem, inferiore verò caprum referebat. Homo natura diuina est, angelica, cęlesti, immortali, si eius animum spectes, in quo męns, ratio, intelligentia, quibus partibus antecellit alijs animantibus. Est & inferior animi pars ex coniunctione corporis, rationis expers, bruta, ferox, & bestię quàm homini similior, in qua sunt perturbationes. Caper pro libidinis symbolo perspicuè vsurpatur: coitu enim omnia animantia propagantur.

Pana colunt gentes.] Gentiles seu Pagani vulgò dicti.


naturam hoc dicere rerum est.] nam πᾶν, totum vel vniuersum sonat.

quòd nobis insita.] Ratio principium habet à corde, principatum in cerebro. Cic. 1. Tuscul. Plutar. 4. Decretor. 5.

caper.] symbolum coitus, siue libidinis. At coitu animalia omnia generantur, vt sunt aeriæ, aquatiles, terrestres.

sophian.] rationem & mentē. Lactant. De opificio Dei.

Inferiora modus.] Ira & cupiditates nihil habent rationis; easque habemus cum belluis communes.



Ars naturam adiuuans.

EMBLEMA XCVIII.



VT sphæræ Fortuna, cubo sic insidet Hermes:
Artibus hic variis, casibus illa præest:
Aduersus vim fortunæ est ars facta: sed artis
Cùm fortuna mala est, sæpe requirit opem.
Disce bonas artes igitur studiosa iuuentus,
Quæ certę secum commoda sortis habent.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTVM id è Galeni πρὸς τέχνας προτρεπτικῶ: apud quem Fortuna, muliebri habitu, globo seu pilæ insidet, ad eius indicandam instabilitatem: Mercurius verò quadrato cubo, ad designandam artium potissimùm liberalium firmitatem, vt quæ nullo fortunæ impetu moueri loco possint. Quò illud refertur apud

Græcos auctores peruulgatum.

λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη.

Ars hominibus, est infelicitatis portus.

ſphara.] orbi rotundo, ad ſignificandam volubilitatem & inconſtantiam, qualis eſt in artibus ſordidis & mechanicis.

cubo.] quadrato lapidi, firmæ ſedi, ad deſignandam artium liberalium ſtabilitatem: vel vitam ipſam ſedẽtariam hominum ſtudioſorum.

Artibus hic.] Mercurius bonarum diſciplinarum præſes.

varijs caſib.] rebus fortuitis, quęque ſunt in perpetuo inconſtantiæ motu.

illa.] Fortuna.

Aduerſus vim fortuna] Ars eſt infelicitatis portus, *λιμὴν ἀτυχίας*, dixit quidam: & alius, Ars ſua cuiq; pro viatico eſt.

Diſce bonas artes] Ouidium imitatur 1. Artis.

Diſce bonas artes moneo Romana iuuentus.



In

In iuuentam.

EMBLEMA XCIX.



NATVS vterque Iouis, tener atque imberbis vterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele.
Saluete, ęterna ſimul & florete iuuenta,
Numine ſit veſtro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Vt lento accedat curua ſenecta pede.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AD firmandam conſeruandamq; valetudinem corporis, duo ſunt obſeruanda, certa victus ratio, & vini vſus moderatus, qui curas animo pellat, vitamq; hilarem faciat. Quod præceptum συμβολικῶς expreſſerũt, qui iiſdem aris Phœbum Medicinæ numẽ, & Bacchum vini deum collocarunt.

Natus vterque Iouis.] Bacchus & Apollo: alter Semeles, alter Latonæ filius.

Saluete.] χαίρετε.

Tu vino curas.] Horat. ——*dissipat Eubius*
Curas edaces.

victu dilue morbos.] aufer corporis ægritudines certa victus ratione.

In quatuor anni tempora.

EMBLEMA C.



ADVENISSE hiemem frigilla renunciat ales:
Ad nos vere nouo garrula hirundo redit.
Indicat æstatem sese expectare cucullus:
Autumno est tantùm cernere ficedulas.

EX-

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX quatuor auicularum generibus, quæ totidem partibus anni conſpiciuntur, videtur innuere rerum omnium tempeſtiuitatem: vt admoneamur ſuſcipiendum omne negocium tempeſtiuè, quia magna ſit occaſionis vis in rebus omnibus aggrediendis & perficiendis.

frigilla.] à frigore dicta. de qua Ariſt. hiſt. anim. 8. 3.

vere nouo garrula hirundo.] Ouid. Faſt. 2.

——an veris prænuntia venit hirundo.

Prouerb. Audi Chelidonem.

cucullus.] de quo ſupra non nihil.

ficedulas.] de quibus paullò ante.



Scyphus Nestoris.

EMBLEMA C I.



NESTOREVM geminis cratera hunc accipe fundis,
Quod grauis argenti massa profundit opus.
Clauiculis ex auro stant circum quatuor ansæ:
Vnamquamque super fulua columba sedet.
Solus eum potuit longæuus tollere Nestor.
Mæonide doceas quid sibi Musa velit?
Est cælum, scyphus ipse: colorq; argenteus illi,
Aurea sunt cæli sidera clauiculi.
Pleiadas esse putant, quas dixerit ille columbas:
Vmbilici gemini magna minorq; fera est.
Hac Nestor longo sapiens intelligit vsu:
Bella gerunt fortes: callidus astra tenet.

EX-

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NESTORIS patera geminis fundis, argentea, clauiculis aureis; quatuor ansis, & sub harum quaque columba sedens, cęlum & pulcherrimum astrorum ornatum significabat. Nam crater iste coloris argentei & clauiculis aureis, cęlum purissimum referebat, & stellas aurei coloris: columbę Pleiades erant: duo vmbilici, vtraque vrsa. hoc schemate commendatur Astronomia, longi vsus & obseruationis ars, quæq; in rebus arduis plus potest, quàm robusti corporis vires.

Quod grauis argenti.] crater factus è massa argentea. *fulua columba.*] Martial. 8.

Hi duo longæuo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.

Magna minorq; fera] Ouid. sic 3. Eleg. 4. Trist.
Magna minorq; fera.

longo vsu.] longa doctus experientia.



Quæ ſuprà nos, nihil ad nos.

EMBLEMA CII.



CAVCASIA æternùm pendens in rupe Prometheùs
Diripitur ſacri præpetis vngue iecur.
Et nollet feciſſe hominem: figuloſq; peroſus
Accenſam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur variis prudentum pectora curis,
Qui cæli affectant ſcire, deumq; vices.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

TORQVETVR hoc in nimium curioſos Philoſophos, vel eos Aſtrologos, qui vulgò Iudiciarij nominantur. Ij, quæ ſunt abdita in natura, vel quę Deus homini voluit eſſe tecta, perquirunt anxiè, deque ijs totos dies noctesque ſecum diſceptant, miſerè ſeſe interea conficientes, non ſecus atque olim pendens in monte Caucaſo

caſo Prometheus, cui aquila cor ita exedebat, vt exeſum renaſceretur.

Caucaſia æternum.] Martial. in 1.

——— *in Scythica religatus rupe Prometheus*
Aſſiduam nimio pectore pauit auem.

ſacri prapetis.] aquilę Ioui ſacræ. de voce præpes, Gell. 6. c. 6.

prudentum.] nimium altè ſapientium.

In Aſtrologos.

EMBLEMA CIII.



I*CARE, per ſuperos qui raptus & aera, donec*
In mare præcipitem cera liquata daret.
Nunc te cera eadem, feruensq́ue reſuſcitat ignis,
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.
Aſtrologus caueat quicquam predicere: præceps
Nam cadet impoſtor dum ſuper aſtra volat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Greço Ικλιανἓ conuertitur in Aſtrologos quosdam falſarios & impoſtores, qui ſupra humanum captum conantur aliquid, quęque longiſſimè abſunt ab ingenio humano, vi mentis & fallacis artis ope ſe conſequi poſſe putant: quo fit, vt detecta impoſtura, in ludibrium & miſeram inopiam decidant.

per ſuperos & aera.] per aera ſuperum.

donec in mare.] donec in mare lapſus, pennis liquefactis, nimio Solis ęſtu.

cera eadem.] rurſum fingeris à pictore ex cerea quadam materia.

Exemplo vt doceas dogmata.] ὡς διδάξαι τὰ δόγματα: commonefacias vnumquemque, doceasq; certo tuo exemplo.



Qui

Qui alta contemplantur, cadere.

EMBLEMA CIIII.



DVM turdos visco, pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiuolam figit arundo gruem,
Dipsada non prudens auceps pede perculit: vltrix
Illa mali, emissum virus ab ore iacit.
Sic obit, extento qui sidera respicit arcu,
Securus fati, quod iacet ante pedes.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Apologo Aesopi, de aucupe & vipera. Dicitur de Astrologis, qui occupati circa inspectionem rerũ cęlestium, vt inde aliquid se pręsagire posse putent; non pręuideant, quod in terris sibi periculum impendeat.

Dum turdos.] auceps dũ captat visco turdos, alaudas pedica, & telo gruem.

iacta arundo.] i.telum,seu sagitta.ob vsum enim,quē sagittis conficiendis prębent arundines,pro sagitta vsurpatur arundo à poetis.

Dipsada.] serpentem. Dipsas,genus serpentis sitim inducens,à διψᾶν, sitire.

non prudens.] incautus.

securus fati.] nescius infortunij , quod habebat pedibus obuolutum:sic enim habet epigramma Gręcum Antipatri:

τὸν ποσὶν οὐκ ἐδάην κῦμα κυλινδόμενον.

Lact ant.lib.2.c.3.in Philosophos: Dum aliorum pręcipitium vident , non prospexerunt,quid ante suos pedes esset.



Poten-

Potentiſſimus affectus Amor.

EMBLEMA CV.



ASPICE vt inuictus vires auriga leonis,
Expreſſus gemma puſio vincat Amor?
Atq; manu hac ſcuticam tenet, hac vt flectit habenas,
Vtq; eſt in pueri plurimus ore decor.
Dira lues procul eſto: feram qui vincere talem
Eſt potis, à nobis temperet an ne manus?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Græco Argentarij quo ſignificatur viros fortiſſimos, & alioqui ſanctiſſimos, amore præpediri, neque mirum videri, ſi imbecilliores eius iugo tam facilè ſubijciantur

auriga.] ductor

Expreſſus

Expreſſus gemma.] ſculptus annulo, effictus.
puſio.] puerulus, παιδάριον.
manu hac.] dextra.
ſcuticam.] flagellum è loris.
hac vt flectat habenas.] ſiniſtra frenum tenet.
Vtq; ſit in p.] formoſiſſimus, in Græco, πολλὰ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις: multa autem circumfloret gratia.
Dira lues procul eſto.] O dirum exitium: vel vt in Græco ſine epiphonemate, φρίσσω τὸν βροτολοιγὸν: horreſco homicidam.
feram talem.] leonem.
Eſt potis.] poteſt.



Potentia

Potentia Amoris.

EMBLEMA CVI.



NVDVS Amor viden' vt ridet placidumq; tuetur?
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet:
Altera sed manuum flores gerit, altera piscem,
Scilicet vt terræ iura det atque mari.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID etiam ex Græco: ex quo discimus Amorem & in terris & in aquis imperium obtinere in quodcunque animantium genus: quod ostenditur symbolo rosæ siue floris: qui terram, & piscis, qui mare designat.

placidum tuetur.] μείλιχος ἐστί, placidus est.

Nec faculas.] faces ardentes.

nec quæ cornua flectat.] arcus.

flores.] rosam. Rosa enim Veneri sacra. In Appendi-

cibus

ribus Virgilianis legitur: *Sideris & floris nam domina una Venus*.

piscem. [Delphinum, vt in Græco, δελφῖνα καὶ ἄνθος. *Scilicet vt terra.*] Virgil. Georgicis.

Omne adeò genus in terris, &c. est enim notũ carmen.

Vis Amoris.

EMBLEMA CVII.



ALIGERVM *fulmen fregit Deus aliger, igne*
Dum demonstrat vti, est fortior ignis Amor.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX 4. Græcor. Epigram. quo significatur amore strenuo nihil vehementius aut insuperabilius, adeò vt rebus ipsis, quæ violentissimæ putantur, non cedat. Itaque

que Græcis nominatur πανδαμάτωρ. i. omnium domitor.

Deus aliger.] ὁ πτανὸς, alas gerens Cupido.

aligerum fulmen.] cui tribuuntur alę propter pernicitatem.

In studiosum captum amore.

EMBLEMA CVIII.



IMMERSVS studijs, dicundo & iure peritus,
Ex maximus libellio.
Helianiran amat, quantum nec Thracius vmquam
Princeps sororis pellicem.
Pallada cur alio superasti iudice Cypri?
Num sat sub Ida est vincere?

EX

EXPLIGAT. CLAVD. MIN.

HOc ſcriptum eſſe in Hieronymum Paduanum, virum litteratum, qui rebus amatorijs operam daret impenſiſſimè, retulit Guicciardinus, ſcriptor Italus. Poteſt non minùs commode flecti in quoſuis ſtudioſos litterarum, qui neſcio qua animi leuitate ita ſe abijciant & proſternant, vt amorem non ſatis honeſtum perſequantur.

Immerſus ſtudijs.] totus in ſtudijs occupatus.

dicundo & iure peritus.] Iuriſperitus.

maximus libellio.) γραμματεύς. ſed certè hoc nomine malim quendam inſigniter litteratum intelligi, & eũ qui ſtudijs pænè immortuus fuerit.

quantum nec Thracius.] efflictim deperit Helianirã, vt non plus olim Tereus, rex Thraciæ, Philomelam deperierit. Ouid. 6. Metamorph.

ſororis.] Procnes. de qua iam ſupra.

Pallada cur alio.] At Venus, cur iterum ſuperaſti Palladem? num ſat erat ſemel in monte Ida te victricem fuiſſe?



Α'ντέρως,

Ἀντέρως, id est, Amor virtutis.

EMBLEMA CIX.



DIC vbi sunt incurui arcus? vbi tela Cupido?
Mollia queis iuuenum figere corda soles.
Fax vbi tristis? vbi penna? tres vnde corollas
Fert manus? vnde aliam tempora cincta gerunt?
Haud mihi vulgari est hospes cum Cypride quicquam,
Vlla voluptatis nos neque forma tulit.
Sed puris hominum succendo mentibus ignes
Disciplinæ, animos astraq; ad alta traho.
Quatuor eq; ipsa texo virtute corollas:
Quarum, quæ Sophiæ est, tempora prima tegit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Græco Mariani Scholastici, 4. Græcor. Epigrammat. figmentum sanè pulcherrimũ, quo vis hones-

ti amoris ob oculos ponitur. Is enim homines inflammat ad rerum cœlestium & honestarum contemplationem: virtutum omnium rationem ex se ducit: quā enim coronam capite gestat, prudentiam designat in parte totius corporis nobilissima, & in qua contemplatio. Per tres alias coronas, quas manibus contrectat, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, in actione maximę positas agnoscimus, vt omnem virtutis atque honesti vim inde proficisci discamus.

Dic vbi sunt incurui.] arcus enim, pharetra, telaq; Amori tribuuntur, qua de re dicetur paullò post in statuam Amoris.

fax tristis.] facula exitialis, noxia.

tres vnde corollas.] cur triplicem corollam manibus contrectas?

vnde aliam.] cur alia corona insignitum caput est?

Haud mihi.] non sum natus Venere vulgari: nihil mihi rei ęst cum volgiuaga voluptate.

Quatuor eq; ipsa.] ex omni natura virtutis tres corollas conficio, è quibus prima, quę prudentiam seu sapientiam repręsentat, caput circumdat.



Ἀντέρως

Ἀντέρως. Amor virtutis, alium Cupidinem ſuperans.

EMBLEMA CX.



ALIGERVM, aligeroq; inimicum pinxit Amori
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemeſis.
Vt quæ alijs fecit, patiatur: at hic puer olim
Intrepidus geſtans tela, miſer lacrymat.
Ter ſpuit inq; ſinus imos: res mira, crematur
Igne ignis, furias odit Amoris amor.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NEMESIS, vltionis Dea, ſuperbientem Veneris filium voluit ab alio aduerſario Cupidine, ſeu oppoſito amore, vinciri & conſtringi: quo ſignificatur, turpem amorem, aut noxiam cupiditatem, honeſto quodam affectu & labore non modò imminui, ſed etiam ſopiri.

Aligerum, aligero.] Nemesis, dea scelerum vindex, affinxit aligerum amorem aligero Amori oppositum, certeque contrarium: arcum arcui, ignem igni: id est, Cupidini vulgari opposuit alium Cupidinem omninò contrarium, eique aduersantem.

Vt quæ alijs fecit, patiatur.] vt ferat eos cruciatus, quibus miseros affecit homines.

puer olim intrepidus.] immò πανδαμάτωρ, inuictus, qui vim suam in Deos etiam exercet.

Ter spuit inq; sinus.] mæstitiæ & indignationis signum expressissimum.

crematur Igne ignis.] huc Ouid. 2. de Remedio:

Alterius vires subtrahit alter amor.

Et Philosophi solent amorem veterem amore nouo tanquàm clauum clauo pellere, ait D. Hieronym. ad Rusticum Monachum.



Dulcia

Dulcia quandoque amara fieri.

EMBLEMA CXI.



MATRE *procul licta, paullùm ſeceſſerat infans*
Lydius: hunc dira ſed rapuiſtis apes.
Venerat hic ad vos placidas ratus eſſe volucres,
Cùm nec ita immitis vipera ſæua foret.
Quæ datis, ah, dulci ſtimulos pro munere mellis;
Pro dolor, heu ſine te gratia nulla datur.

EXPLICAT, CLAVD. MIN.

HOc figmento, amoris naturam intelligere licet, qui vt rectiſſimè Plautus ait; *& melle & felle eſt fœcundiſſimus:* nam guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem vſque aggerit. Quid enim voluptate blandius? ſed eadem tandem quid triſtius?

Matre licta.] relicta, id est cum procul à matre secessisset.

infans Lydius.] Cupido dissolutus. Lydi, Asię populi, omni mollitie ac luxu perditi. Herodotus 1. Athenęus 12.4. Plin. 3.5. & 5.29.

hunc dira sed.] sed interea morsus est ab apibus.

Venerat hic.] putabat esse mites volucres: sed re ipsa est expertus serpentis morsum non esse nocentiorem.

Pro dolor, heu sine te.] ò apes, non minus acres estis, quàm mel ipsum dulce. Nam vox ἀντίπαλοι, quę in Gręco legitur epigrammate (è quo id trãslatum emblema) significat ęqualium inter se virium, seu qualitatum contrarietatem: quasi apertius diceret, apum acerbitatem ęquare mellis dulcedinem, magnumque bonum summo malo compensari.



Fere simile ex Theocrito.

EMBLEMA CXII.



ALVEOLIS dum mella legit, percußit Amorem
Furacem mala apes, & summis spicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius vngue,
Et quatit errabundus humum, Veneriq; dolorem
Indicat, & grauiter queritur, quòd apicula paruum
Ipsa inferre animal tam noxia vulnera possit.
Cui ridens Venus, Hanc imitaris tu quoque, dixit,
Nate, feram, qui das tot noxia vulnera paruus.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AMOREM cum apibus comparat. Apes ceram & mel conficiunt: eædem aculeum habent violentissimum: sic amor voluptatis suppeditat illecebras, idem dolorem mœroremque fundit in animos. Vel id intelligetur generaliùs de ijs rebus, ex quibus petitur aliqua ob-

lectatio, quę tamen, nisi caueamus immixtam habem amaritiem.

Alueolis.] apum aluearijs.

dum mella legit.] Cupido mellilegus.

malæ apes.] noxia.

Et quatit humum.] signum doloris vehementissimi.

dolorem.] vulnus.

ridens Venus] φιλομειδὴς. Horat.

Siue tu mauis Ericina ridens.

hanc feram.] bestiam. Apes hic ferę dicuntur, vt apud Iurisconsultos, L. Naturalem. D. de acq. domin. Plin. tamen 11.5. tradit eas nec mansueti, nec feri generis esse.



In sta-

In statuam Amoris.

EMBLEMA CXIII.



QVIS sit Amor, plures olim cecinere Poetæ,
Eius qui vario nomine gesta ferunt.
Conuenit hoc, quòd veste caret, quòd corpore paruus:
Tela alasq; ferens lumina nulla tenet.
Hæc ora, hic habitusq; Dei est. Sed dicere tantos
Si licet in vates, falsa subesse reor.
Eccur nudus agat? Diuo quasi pallia desint,
Qui cunctas domiti possidet orbis opes.
Aut qui quæso niues, Boreamq; euadere nudus
Alpinum potuit, strictaq; prata gelu?
Si puer est, puerum ne vocas, qui Nestora vincit?
An nosti Ascræi carmina docta senis?
Inconstans puer hic obdurans pectora, quæ iam
Trans adijt, numquam linquere sponte potest.

An

At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus ?
An curuare infans cornua dira valet ?
Alas cur ve tenet quas nescit in æthera ferre ?
Inscius in volucrum flectere tela iecur.
Serpit humi, semperq́ꝫ virùm mortalia corda
Lædit, & haud alas saxeus inde mouet.
Si cæcus, vitamq́ꝫ gerit, quid tænia cæco
Vtilis est? ideò num minùs ille videt?
Quisve sagittiferum credat qui lumine captus ?
Hic certa, ac cæci spicula vana mouet.
Igneus est, aiunt, versatq́ꝫ in pectore flammas,
Cur age viuit adhuc? omnia flamma vorat.
Quinetiam tumidis cur non extinguitur vndis
Naiadum, quoties mollia corda subit ?
At tu ne tantis capiare erroribus, audi.
Verus quid sit Amor, carmina nostra ferent.
Iucundus labor est, lasciua per otia: signum
Illius est nigro punica glans clypeo.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

OSTENDITVR quàm sit absurda Cupidinis descriptio, qualis circumfertur ex opinione veterum poetarum. Nam nuditas, & vestium priuatio, repugnat Dei naturę rerum omnium copia beatę. Puer non est, qui sit annosior Nestore: inconstans non est, qui sic obstinatè obfirmet animos: pharetratus non est, quia puer bene iaculari nescit: neque alatus, qui volandi sit impotens, seq;ue humo tollere non possit: non est sagittifer, vt qui captus lumine. igneus non est, quia ignis omnia depascatur. Tandem apponit veram amoris descriptionem, eamq́ue naturalem: vna cum eius schemate. *Punica glans in nygra clypei planitie:* quæ reprẹsentant sexus vtriusque γεννητικὰ μόρια.

Eius qui vario nomine.] qui vim eius, naturamq́ue variè reprẹsentant.

Conuenit hoc.] non ne absurdum, quòd nudus, quòd puer,

puer, quòd arcitenens, quòd alatus, quòd oculis captus?

Hac ora, hic habitus.] talis Amor describitur à poetis, quę fictio quàm sit absurda, mox ostendam.

Diuo quasi pallia desint.] Atqui Deus re nulla eget: est ergo primum absurdum.

Aut qui queso niues.] si nudus, non poterit frigora perpeti, alterum repugnans.

Si puer est.] non potest dici puer, qui Nestorem ętate superat, est enim ὁ ἔρως ἀρχαιότερος Ἰαπετῦ, vt ex Luciano monuimus alio loco. Et Hesiod. Theogonia tradit, Chaos, Tellurem, Amorem Deorum primos exstitisse.

Ascrai senis] Hesiodi.

Inconstans, obdurans.] an inconstans habendus, qui sic pertinaces & obduratos reddat animos?

nunquam linquere sponte potest.] Senec. Hippolyto.

Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Serò recusat ferre quod subijt iugum.

At pharetras.] arcitenens, seu pharetratus amor, idemque puer: quod absurdum aliud. neque enim puer curuare arcum potest.

Alas cur ve.] quorsum alę tribuuntur cupidini, cum volare nesciat?

Inscius in volucrum] non potest auceps esse, quorsum ergo tela, vel sagittę?

Serpit humi] humi graditur, semperq; hominum genus lędit: neque se potest humo tollere, cum sit saxeus.

Si cacus.] si sit oculis captus, cur oculos habet opertos vitta vel tęnia? id enim nihil ad rem facit. Qui enim re ipsa cęcus est, non potest magis oculorum priuari vsu, si vitta obtendatur.

Quisve sagittiferum.] sagittifer aut iaculator minimè esse potest, qui sit lumine captus.

Hic certa] iaculator vsu scopum aliquem sibi certum proponit: cęcus verò non potest.

Igneus est.] qui igneus, seu flammeus Amor, cum omnia ignis depascatur?

Quinetiam tumidis.] quid non extinguitur ignis iste amoris, cùm ingreditur Naiadum corda mollia?

ne capiare errorib.] ne figmentis poeticis tamdiu hæreas.

Verus quid sit amor.] quid verè sit Amoris nomine intelligendum.

Iucundus labor est.] Amoris descriptio κατ' ἐναντίωσιν, vt apud nescio quem.

Cura placens, prædulce malum, tristisq; voluptas.

lasciua per otia.] otium parens libidinis.

signum Illius est.] Amoris symbolum, Punica glans in nigra scuti planitie. sunt autem hęc τὰ γεννητικὰ μόρια vtriusque sexus. Glans est βάλανος, mentula: scutum siue clypeus, τὰ τῆς γυναικὸς αἰδοῖα.



In

In obliuionem patriæ.

EMBLEMA CXIIII.



IAMDVDVM missa patria, oblitusq; tuorum,
Quos tibi seu sanguis, siue parauit amor:
Romam habitas, nec cura domum subit vlla reuerti,
Æternæ tantùm te capit vrbis honos.
Sic Ithacum præmissa manus dulcedine loti
Liquerat & patriam, liquerat atque ducem.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

MVTVATVS id mihi videtur ex Ammiano Marcellino, lib. 14. In eos flectitur, qui externę cuiusdam regionis amœnitate & blanditijs capti, sic viuunt, vt veniant in obliuionem patrię & amicorum, non secus atque Vlyssis socij, qui cū ad Lotophagos peruenissent, Loto ab ijs primùm gustata ad nauim redire noluerunt, nisi

nisi verberibus adacti, vt est apud Homerum, Odyss. 9.

missa patria.] relicto natali solo.

Quos tibi seu sanguis.] qui tibi sunt cognatione, vel affinitate iuncti.

siue parauit amor.] quibuscum tibi amicitia intercedit.

Æternę vrbis.] quę sic nominatur Ausonio, Marcellino, Symmacho, alijs.

Ithacum.] Ithacensium, Vlyssis sociorum.

manus.] multitudo, quam miserat exploratum Vlysses in Lotophagorum patriam.



Sirenes

Sirenes.

EMBLEMA CXV.



ABSQVE alis volucres, & cruribus absque puellas,
Rostro absque & pisces, qui tamen ore canant,
Quis putat esse vllos? iungi hæc Natura negauit:
Sirenes fieri sed potuiße docent.
Illicium est mulier, quæ in piscem desinit atrum,
Plurima quòd secum monstra libido vehit.
Aspectu, verbis, animi candore trahuntur,
Parthenope, Ligia, Leucosiaq; viri.
Has Musæ explumant, has atque illudit Vlysses:
Scilicet est doctis cum meretrice nihil.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SIRENAS, monstra marina esse poetę tradunt, quę virginis faciem referunt, & in piscem desinunt, quęque nautas cantus illicio pertrahunt, & sopitos demergunt.

gunt. hę verò sunt blandarum voluptatum typus, quæ in alto hoc vastoque mundi Oceano incautos pręcipitant. Aduersus tamen eas duo hic antidota proponuntur, studium litterarum & peregrinatio.

Absq; alis] Sirenes putantur esse volucres sine plumis, puellę sine pedibus, pisces absque rostro, cantatrices; quod tamen à communi natura videtur alienum.

Illicium est mulier.] Gręca locutio, ἡ γυνὴ θέλγητρον, τὸ θελκτήριον, id est. illex.

quæ in piscem.] Horatius ad Pisones:

——turpiter atrum
Desinit in piscem mulier formosa supernè.

Plurima quòd secum] fœdę libidinis effecta multa certè multùm exitiosa.

Aspectu, verbis.] tres libidinis causę mouentes, visus, colloquium, pulchritudo. De aspectu illud tritum Propertij.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Parthenope, Ligia, Leucosia.] tria Sirenum nomina tribus respondent causis his, de quibus modò.

Has Musæ explumant.] Ex vetere fabula: ausę fuerunt olim Sirenes certare cum Musis voce atque cantu. Musę victrices plumas Sirenibus auulserunt, quibus sibi coronas confecerunt in signum victorię. Pausanias & Stephanus. Et hoc est primum Amoris turpis remedium, studium litterarium, & contentio in disciplinis.

has atq; illudit Vlysses.] Homerus Odyssea, & Ouid. Metamorph.

Scilicet est doctis.] huc Platonis lepidissimum tetrastichon, quod Laertius retulit.

Α'κύπρις μούσαισι, &c. quo significat inuulnerabiles esse Musas Cupidinis telo. Lucian. Idem in deorum Dialogis.



Senex

Senex puellam amans.

EMBLEMA CXVI.



DVM Sophocles (quamuis affecta ætate) puellam
A quæstu Archippen ad sua vota trahit,
Allicit & pretio, tulit ægrè insana iuuentus
Ob zelum, & tali carmine vtrumque notat:
Noctua vt in tumulis, super vtq; cadauera bubo;
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Athenęo lib. 13. Dipnosoph. Ex quo discimus turpissimum esse seni amore diffluere: quod & Deo, & ipsi etiam naturę odiosum esse nostri dictitant. Notum illud Ouidij:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

quamuis affecta ætate.] decrepita, senio grauis.

O *puellam.*]

puellam.] meretricem, iuuenculam.
A quæstu.] allusio tacita ad meretricis nomen.
ad sua vota trahit] ad se allicit, vocat.
insana.] amore saucia.
Ob Zelum.] zelotypiam, qua laborabat.
tali carmine.] libello famoso.

In colores.

EMBLEMA CXVII.



INDEX mœstitiæ est pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu, tumulis cùm damus inferias:
At sinceri animi, & mentis stola candida pura:
Hinc sindon sacris linea grata viris.
Nos sperare docet viridis. Spes dicitur esse
In viridi, quoties irrita retrò cadit.
Est cupidis flauus color: est & amantibus aptus,
Et scortis, & queis spes sua certa fuit.

At

At ruber armatos equites exornet amictus;
Indicet & pueros erubuisse pudor.
Caeruleus nautas, & qui caelestia vates
Attoniti nimia relligione petunt.
Vilia sunt giluis natiuaq; vellera burrhis:
Qualia lignipedes stragula habere solent.
Quem cura ingentes cruciant vel Zelus amoris,
Creditur hic fulua non male veste tegi.
Quisquis sorte sua contentus ianthina gestet;
Fortunae aequanimis taedia quiq; ferat.
Vt varia est natura coloribus in gignendis,
Sic alijs aliud: sed sua cuique placent.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

VT sunt varia mentis humanę παθήματα, varij que sensus, ita ex coloribus, quę sensum imprimis permouere solent, ducuntur varia symbola, quibus exprimũtur tacita animorum consilia, vel etiam cogitationes, vt cum apponuntur in vestibus, aulęis, signis militaribus, vestibulis ędium, pergulis, &c.

Index moestitiae.] Niger siue pullus color adhibetur parentationibus mortuorum.

cum damus inferias.] cum vita functis iusta persoluimus.

At sinceri animi.] Albor, seu niueus color puritatis, simplicitatis, probitatis index. Ea ratione sacerdotes linea vtuntur sindone.

Nos sperare.] Spei color est viridis, vt ostensum est supra, In simulachrum Spei.

Est cupidis.] flauus est cupidorum & amantiũ, corumque qui spem pretio non emunt.

At rubor.] rubeus est bellatorum: ardorem enim pugnę, cędemq; significat. Est & purpureus color pudoris indicium & verecundię, qualis est in pueris.

Caeruleus nautas.] Nautarum & superstitiosorum co-

lor cęruleus est.

Vilia sunt giluis.] tenuis fortunę homines vilia decēt, vt byrrhum seu rufum, giluum seu melinum.

Quem cura ingentes.] Meticulosis, zelotypis, & ijs, qui omnino sunt perturbati, fuluus amictus ex viridi & rufo permixtus potest esse peculiaris.

lignipedes.] restigeri Monachi, qui calceis seu soleis vtuntur ligneis. hi sunt qui vulgo Capucini, & quidam etiam è familijs Franciscanis.

Quisquis sorte.] violaceus ad eos pertinet, qui sua contenti sorte viuunt, vel etiam fortunę ludibria pro nihilo ducunt. Eos affectus significare possunt violę & rosę ἴα καὶ ἄνθη.

Vt varia est nat.] vt varia est natura in coloribus, eorumque differentijs multiplicibus efficiendis; sic varia variorum ex ijs ducuntur symbola, vt varię sunt hominum opiniones.



Virtuti

Virtuti fortuna comes.

EMBLEMA CXVIII.



ANGVIBVS *implicitis, geminis caduceus alis*
Inter Amalthea cornua rectus adest.
Pollentes sic mente viros, fandiq́ peritos
Indicat, vt rerum copia multa beet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HIS symbolis, virga Mercuriali caduceo duobus inter se connexis serpentibus, & duplici copiæ cornu significatur, homines sapientia & eloquentia præditos, rerum omnium copiam facile consequi. Quò pertinet illud Aristotelis: Sapiens non eget. Hoc verò fuisse symbolum Alciati, me docuit Paul. Iouius lepido eo libello, quem scripsit De notis armorum & amoris.

caduceus.] Mercurii virga. Homer. Odyss. ε. Virgil. 4. Aeneid.

Amalthea cornua.] de quibus Ouid. Metamorph. 9. & Fast. 5. Strab. 10.

Pollentes mente.] φρονίμους, κ' νοῦν ἔχοντας.

fandi peritos.] εἰπεῖν δυναμένους.

Fortuna virtutem superans.

EMBLEMA CXIX.



CÆSAREO *postquàm superatus milite, vidit*
Ciuili vndantem sanguine Pharsaliam;
Iam iam stricturus moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore sonos:
Infelix virtus, & solis prouida verbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DION refert, à Bruto iam morti proximo recitatos versus hos ex nescio qua Tragędia: *O misera virtus:*

tus: ergo nomen inane eras: ego verò te vt rem solidam exercui, quamuis interim fortunæ seruires. Significabat tunc quidem temporis plus momenti & virium fuisse in fortuna, quàm in virtute: virosque bonos improborum machinis fractos & extinctos: quod & hodie fieri videmus magno omnium luctu & consternatione.

Cæsareo milite.] Cæsaris Octauii & M. Antonii copijs.

Ciuili sanguine.] cruore ciuium redundantem Pharsaliam.

Iam iam stricturus.] morti proximus, sibi violentas manus proximè allaturus.

Audaci ore.] voce hominis desperantis.

Infelix virtus.] ὦ τλῆμον ἀρετή, vt apud Plutarch. Dionem, Zonaram.



Paupertatem summis ingenijs obesse ne prouehantur.

EMBLEMA CXX.



DEXTRA tenet lapidem, manus altera sustinet alas:
Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per arces,
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ADOLESCENTIS est ingeniosi prosopopœia, quæ multis aliis est communis, quibus, si quid suppeteret ad studiorum progressum, non sanè ita hærerent in puluere, sed ad summos doctrinæ gradus eueherētur. Lapis hic impedimentum inopiæ, alæ verò ingenii dexteritatem notant.

Dextra tenet lap.] dextra manus retinetur saxo duro. *manus altera*] læua est alata.

leuat.]

leuat.] leuem facit agilemque, promptum ad eruditionis capiendum cultum.

superas volit.] summum honorem ex doctrinę fructu consequi.

inuida.] noxia.

In Occasionem.

EMBLEMA CXXI.

Διαλογιστικῶς.



LYSIPPI hoc opus est, Sicyon cui patria. tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.
Cur pinnis stas? vsque rotor. talaria plantis
Cur retines? passim me leuis aura rapit.
In dextra est tenuis dic vnde nouacula? acutum
Omni acie hoc signum me magis esse docet.
Cur in fronte coma? occurrens vt prendar. At heus tu
Dic cur pars calua est posterior capitis?

Me

Me semel alipedem si quis permittat abire,
Ne possim apprenso postmodò crine capi.
Tali opifex nos arte, tui caussa edidit, hospes:
Vtq; omnes moneam, pergula aperta tenet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTVM ex Græco Posidippi, quo edocemur, Occasionem nihil esse aliud quàm minimum temporis punctum: quæ cum sit volubilis, & volatica, eodem stare loco nescia, eademq; acutissima, fronte capillata, occipiti caluo, maturè est, cum se offert, arripienda ei, qui rem tentatam vel optatam ad exitum perducturus sit.

Lysippi.] de quo Plin. 34. c. 7 & 8.

cuncta domans] καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ: occasio rerum omnium victrix.

capti temporis articulus.] momentum breue temporis. Prouerb. Temporis punctum.

Cur pinnis stas?] cur talaria pedibus habes?

Vsq; rotor.] sum volatica, facillimè fluens.

pinnis.] pro pennis. vt, *fides alma, apta pinnis.*

In dextra est.] cur nouaculam dextra ostentas? nempè eo signo docetur, quàm acuta sit occasio, quæ mutationẽ repentè rebus afferat. Itaque Menander. τάχεσθαι ὁ χαιρὸς μεταφέρει τὰ πράγματα.

Cur in fronte coma?] καιρὸς enim fingitur recaluaster, qui non nisi, cum se offert, prehendi potest. Rectè ille,

Fronte capillata, post hæc occasio calua est.

Tali opifex nos arte.] Lysippus eo artificio expressam reddidit occasionem, tui gratia, hospes, i. quicunque hãc effigiem aspicias.

Vtq; omnes moneam.] me locus peruius & cõspicuus tenet, vt omnes moneam.



In

In ſubitum terrorem.

EMBLEMA CXXII.



E*FFVSO cernens fugientes agmine turmas,*
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Polyæno lib. 1. Stratagemmaton. Pan Bacchi dux fuit (inquit ille) qui primus aciem inuenit, quã phalangem nominauit. dextrum & ſiniſtrum cornu inſtituit, qua ratione cornua ei tributa ſunt. primus, qui arte & calliditate hoſtes intercepit. Cùm ergo aliquando qui miſſi fuerant exploratum, retuliſſent, hoſtes in altera ſiluæ concauæ parte caſtra metari, Pan præcepit ſuis, ingentem clamorem tollerent. Sonus locis cauernoſis exceptus multò maior exauditus ab hoſtibus, eos perculit, inque fugam coniecit. Hinc Panici terrores dicti, id eſt, impro-

improuiſi metus & conſternationes, quæ ſine ratione accidunt.

Effuſo agmine.] fuſis copijs, exercitu perturbato.

Faunus] Pan, cuius cornua credebantur terrorem immittere.

In illaudata laudantes.

EMBLEMA CXXIII.



INGENTES Galatum ſemermi milite turmas,
Spem præter trepidus fuderat Antiochus:
Lucarum cùm ſæua boum vis, ira, proboſcis,
Tum primùm hoſtiles corripuiſſet equos.
Ergo trophæa locans Elephantis imagine pinxit,
Inſuper & ſocijs, occideramus, ait,
Bellua ſeruaſſet ni nos fœdiſſima barrus:
Vt ſuperaſſe iuuat, ſic ſuperaſſe pudet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Luciani Apologia, quæ inscribitur Zeuxis, siue Antiochus. Quo exemplo belli duces ij notantur, qui vtile honesto anteponunt, & iuxta Lysandri sententiam, vel dolo, vel fraude, vel insidijs hostem impetunt.

Galatum.] Gallogræcorum.

semermi milite.] semiarmatis copijs, non bene instructis.

fuderat.] repulerat, disiecerat.

Lucarum boum.] Elephantorum. Lucæ boues dicti elephantes, quòd à Romanis primùm visi in Lucanis. Plin. 8. 6. Veget. 3. 26.

sæua vis] immanitas, ferocitas.

ira.] summus impetus.

proboscis.] porrectio illa naribus inhęrens. Plin. 8. 7. à προβοσκεῖν ante pascere.

hostiles] hostium.

equos.] Galatarum.

Ergo trophæa locans.] trophæum positurus, pingi mandauit elephantum.

occideramus.] perieramus.

ait.] Antiochus ille Soter, vt Lucianus testatur.

Bellua seruaßet.] ni nobis victoria obtigisset elephantorum beneficio.

bellua fœdissima.] vastissima, contemptissima, vt referas ad verbum sequens, pudet. Alii legi malunt, fidissima, quæ lectio tolerari potest.

barrus.] elephas, qui barrire propriè dicitur.

Vt superesse iuuat.] vicisse vtile quidem, sed nō honestum: At lucrum pudori præstat. &, quod quidam ait in Planti Trinumo:

Pol pudere, quàm pigere præstat, totidem litteris.



In

In momentaneam felicitatem.

EMBLEMA CXXIIII.



AERIAM propter creuisse cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse coma:
Cùm ramos complexa, ipsumq; egressa cacumen,
Se præstare alijs credidit arboribus:
Cui pinus, Nimium breuis est hæc gloria: nam te,
Protinus aduenie t, quæ malè perdet, hyems.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SCRIBIT Guicciardinus, historiarum scriptor Italus, id Alciati carmen affixum fuisse pro foribus Angli cuiusdam, qui factus insolentior ob prosperos successus, permultis inuisum se præbebat. Apologus refertur à Crinito 2. lib. 14. Conuertitur in gloriosulos, qui plus habent

bent oſtentationis quàm virium & facultatum, vnde ſe ridendos propinant, & tanquam ſicci quidam floſculi citiſſimè exareſcunt.

Æriam propter pinum.] iuxta pinum editiſſimam, altiſſimam.

grandi luxuriaſſe coma.] ſua folia dilataſſe, ſuas frondes in latum porrexiſſe.

Cùm ramos complexa.] amplexata pinum, cuius beneficio excreuerat.

nimium breuis eſt.] tua iſthæc iactantia breui durabit: primis enim hyemis frigoribus excutieris, celeriterq́ue decides.



Ex damno alterius, alterius vtilitas.

EMBLEMA CXXV.



DVM sæuis ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper,
Accurrit vultur spectatum, & prandia captat.
Gloria victoris, præda futura sua est.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PETITVM hoc ex Gabriæ apologo. Dicitur speciatim de Christianis Principibus, qui cum inter se superioribus ante actis annis decertarent, Solimannus Turcarum Imperator, quasi spectatorem agens, suam nõ parum ditionem auxit, & in Germaniam irrupit, cum maxima totius Reipub. Christianæ pernicie.

Dum sæuis ruerent.] dum certarent inter se graui & periculoso Marte, atrocissima contentione: leo quiden vnguibus, & dentibus aper truculentis.

Accur-

Accurrit v.] ſpectatorem egit.

prandia captat.] inde ſperat commodum, ſibi aliquid pollicetur.

Gloria victoris.] ex victore ipſo prædam capiet.

Bonis auſpicijs incipiendum.

EMBLEMA CXXVI.



AVSPICIIS res cœpta malis, bene cedere neſcit.
Felici quæ ſunt omine facta, iuuant.
Quidquid agis, muſtela tibi ſi occurat, omitte:
Signa malæ hac ſortis beſtia praua gerit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

IN ſuſcipienda re aliqua nō parum conducit fauſtum felixque principium: ita non minimum adfert incommodi, ſi vel malo, vel inerti, aut etiam flagitioſo princi-

pio negotium ordiaris. Rectè quidem & prouidè, modò absit superstitiosa illa obseruatio, quæ quorundam animos terrore nescio quo afficit, & miserè torquet.

Auspicijs res.] res malè incœpta initio, non sortitur felicem exitum: at quæ cœpta feliciter, non nisi benè cadunt.

Quicquid agis] si quid incipias.

mustela tibi si occurrat.] bestia inauspicata, malíque ominis. Vide Prouerb. Mustelam habes.

Signa mala.] hæc enim portendit nescio quid sinistri.



Nihil

Nihil reliqui.

EMBLEMA CXXVII.



SCILICET hoc deerat post tot mala, denique nostris
Locustæ vt raperent quicquid inesset agris.
Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,
Qualia non Atyla, castrave Xerxis erant.
Hæ fœnum, milium, farra omnia consumpserunt.
Spes & in angusto est, stant nisi vota super.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DEFLET horrificam quandam calamitatem, qua fuit affecta Insubria, circa annum, vti conijcio, 1541. Nam eleuata nube locustæ ex aere ceciderunt, legumina, herbas, grana omnia depastæ, adeò vt famem & desperationem induxerint.

post tot mala.] post tot acceptas calamitates.

raperent.] absumerent, depascerentur.

Vidimus innumeras.] innumerabilem locustarum multitudinem flante Euro concretam saltitasse.

Hæ fœnum.] interceperunt omnem annonæ spem.

Spes & in angusto est.] spes admodum minima superest, nihilque nobis relictum præter vota precesque.

Malè parta malè dilabuntur.

EMBLEMA CXXVIII.



MILVVS edax, nimia quem nausea torserat esca,
Hei mihi, mater, ait, viscera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? cur hæc tua viscera credas,
Qui rapto viuens sola aliena vomis?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX apologo Gabriæ in eos, qui, quæ rapto & fraude congesserunt, tam ægrè perdunt, ac si sua essent. Et vulgò

vulgò nostri dictant: *Eum qui censum perdat, sensum amittere.* At magni illi fures, vt rabulæ prædatores, & diuites æruscatores, qui hic nomine Milui designantur, nó ita debent ægrè ferre, si opum iacturam faciant, cum nihil, aut certè parum de suo amittant.

Miluus edax.] præ nimia crapula miluus ad nauseam conuersus: id est, gluto, vorax, qui præ ingluuie nauseabat.

fluunt.] Rectè fluunt, fluxa enim & caduca sunt, esseque solent τὰ χρήματα ἅρπακτα.

Qui rapto viuens.] ex furto victitans, egeris non tua, sed quæ malis artibus parasti.



Semper præſto eſſe infortunia.

EMBLEMA CXXIX.



LVDEBANT parili tres olim ætate puellæ
Sortibus, ad Stygias quæ prior iret aquas.
At cui iactato malè ceſſerat alea talo,
Ridebat ſortis cæca puella ſuæ:
Cùm ſubitò icta caput labente eſt mortua tecto,
Soluit & audacis debita fata ioci.
Rebus in aduerſis mala ſors non fallitur: aſt in
Fauſtis, nec precibus, nec locus eſt manui.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

APOLOGVS hic legitur 1. Græcor. Epigrammaton: ex quo monemur, eum non ſapere, qui fortunæ ſuæ ita fidit, vt cũ ea ſe tutò poſſe luſitare putet. Caſus enim aduerſi ſemper vltrò cadunt: proſpera neque ſunt

ſunt in noſtra manu; & cum ea nobis interdum obtingunt, ſiſti ad noſtrum arbitrium non poſſunt.

Ludebant.] animum luſu reficiebant.

parili ætate.] ἡλικιῶται, coætaneæ, æquales.

ſortibus.] cubis, teſſellis.

Ad Stygias q.] quę prior fatis conceſſura eſſet. at mors eſt incertior quàm ſit cubi iactus.

At cui iactato.] cui ſorte obtigerat mortis pręſagiũ: quæ iacta teſſera ſe priùs morituram viderat.

Ridebat ſortis.] putabat eſſe ludicrum ex iactu, mortis omen.

cæca.] ignara.

ſuæ ſortis.] fati, quod ſibi impendebat.

Cum ſubitò.] cum ſtatim eſt illapſa in eius caput tegula, vel tecti ruina.

Soluit & audacis.] reipſa eſt experta, non eſſe tutum in ea diuinatione ludum. Ergo ſatius etiam omnia tuta timere: quia mortis præceps eſt & inopinatum vadimonium.

Rebus in aduerſis.] aduerſa fortuna vltrò nobis obtingit, vltrò ſe offert, inexſpectata venit.

aſt infauſtis.] ſed felix & proſpera nec prece, nec pretio comparatur: etiam vocata & exſpectata nos fugit.



Remedia in arduo, mala in prono esse.

EMBLEMA CXXX.



ÆTHERIIS postquam deiecit sedibus Aten
Iuppiter, heu vexat quàm mala noxa viros
Euolat hæc pedibus celer & pernicibus alis,
Intactumq; nihil casibus esse sinit.
Ergo Litæ, proles Iouis, hanc comitantur euntem,
Sartura quidquid fecerit illa mali.
Sed quia segnipedes, luscæ, lassæq; senecta,
Nil nisi post longo tempore restituunt.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOMERICO hoc figmento significatur, quàm celeri momento res aduersæ nos impetant, quamque sera ijsdem medicina adhibeatur. Quod nostrates accommodata parœmia efferunt, cum dictitant, *mala in equis*

ignis aduenire, id est, citissimè nos adgredi, *pedibus verò recedere*, hoc est, tardè sensimque abire. Fabula est apud Homer. Iliad. I.

deiecit.] deturbauit.

Aetheriis sedibus.] è cœlesti sede.

Aten.) noxam. Nomen habet ab ἀάομαι, lædo, noceo.

vexat mala noxa viros.] βλάπτεσ' ἀνθρώπους, Homerus.

pedibus celer & pernicib. alis.] sic Homer.

ἡ δ' ἄτη σθεναρή τε καὶ ἄρτιπος, &c.

Intactumq; nihil.] omnia malis implicat, nihil relinquit intactum, quod calamitatibus non compleat.

Sarturæ.] compositurae, sanaturæ.

Sed quia segnipedes.] Homerus.

χωλαί τε ῥυσαίτε, παραβλῶπες τ' ὀφθαλμώ



Ex arduis perpetuum nomen.

EMBLEMA CXXXI.



CREDIDERAT *platani ramis sua pignora passer*
Et bene, ni sæuo visa dracone forent.
Glutijt hic pullos omnes, miseramq́; parentem
Saxeus, & tali dignus obire nece.
Hæc, nisi mentitur Calchas, monimenta laboris
Sunt longi, cuius fama perennis eat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOMERVS Iliad. β. hanc fabulam prodidit: qua docuit, ex rebus arduis, & ijs, in quibus maxima difficultas proponitur, perpetuam & nunquam intermorituram famam consequi.

Crediderat plat.] platano. commiserat.

sua

sua pignora.] suos pullos.

passer.] mater.

Et benè.] tutò quidem, nisi eos draco sęuus obseruasset.

Saxeus.] vbi deglutisset, in saxum rigens est transformatus.

nisi mentitur Calchas.] si vera dicit augur. Ex nouem cum matre passeribus aiebat bellum decennale significari. Nam ex passeribus annos, angue verò tempus intelligebat. Serpens autem saxeus factus arguebat perpetuam rei huius memoriam.



Ex litterarum ſtudiis immortalitatem acquiri.

EMBLEMA CXXXII.



NEPTVNI tubicen (cuius pars vltima cetum,
Aequoreum facies indicat eſſe Deum)
Serpentis medio Triton comprenditur orbe,
Qui caudam inſerto mordicus ore tenet.
Fama viros animo inſignes, præclaraq; geſta
Proſequitur, toto mandat & orbe legi.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID petitum è Macrobio Saturnaliorum 1.cap. 8. Tritonas cum buccinis (ait) faſtigio Saturni ędis ſuperpoſitos, quoniam ab eius commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria elata, & quaſi vocalis eſt: ante verò muta & obſcura & incognita: quod teſtantur caudæ Trito-

num

num humi merſæ & abſconditæ, hæc ille. Sed hic noſter ad memoriam nunquam intermorituram doctorum virorum retulit. Tuba, famę & commendationis nota, vt quæ ab omnibus exaudiatur: ſerpens in ſe reuolutus, æternitatem deſignat.

cuius pars vltima cetum.] qui cauda tenus piſcem refert: qui parte inferiore piſcis eſt.

Aequoreum facies.] facie verò Deus.

Serpentis medio.] clauditur orbe ſerpentis, qui quaſi mordeat ore caudam: qui referat annulum rotundum.

fama viros.] clari & illuſtres viri fama nominis immortali donantur, eorumque geſta præclarè per totum orbem apud poſteros celebrantur.



Tumulus

Tumulus Ioannis Galeacij Vicecomitis, primi Ducis Mediolanensis.

EMBLEMA CXXXIII.



PRO tumulo pone Italiam pone arma ducesq́ue,
Et mare, quod geminos mugit adusque sinus.
Adde his Barbariem conantem irrumpere frustrà,
Et mercede emptas in fera bella manus.
Anguiger est summo sistens in culmine, dicat:* * al. ô
Quis paruis magnum me superimposuit?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX aliquot Græcis epigrammatis concinnat hoc in gratiam Galeacij sui, cui pro tumulo vniuersam Italiam, quam ab incursionibus Barbarorum seruauit esse depingendam vult, quasi sepulcrum magnis virtutibus debitum: in apice vero Anguigerum statui, qui ita dicat, τί με μικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε; quasi is, quam

quam

quam magnus, non tamen satis dignus honos habendus sit, qui in eum Principem conferatur.

Pro tumulo.] ad excitandam tumuli magnificentiam Galeacio.

pone.] i. adpone, affinge, describe.

arma.] copias armatas, exercitum.

Duces]. Imperatores belli.

Et mare, quod geminos.] Adriaticum & Tyrrhenum, quibus Italia clauditur.

Adde his Barbariem.] adiunge Barbaros conantes impetum facere.

Et mercede emptas.] milites stipendio conductos: auxiliares copias.

Anguiger.] anguifer quidam, quo alludere videtur ad insigne Ducatus Mediolanens.

summo sistens in culmine.] consistens in apice tabulæ seu planitiei.

Quis paruis magnum me superimposuit?] In Græco sic,

τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

quasi diceret, quis me, citra exceptionem, magnum, rebus minimis æquare voluit?



Optimus

Optimus ciuis.

EMBLEM CXXXIIII.



DVM iuſtis patriam Thraſybulus vindicat armis,
Dumq́ ſimultates ponere quemque iubet,
Concors ordo omnis, magni inſtar muneris, illi
Palladiæ ſertum frondis habere dedit.
Cinge comam Thraſybule, geras hunc ſolus honorem:
In magna nemo eſt æmulus vrbe tibi.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

OPTIMI ciuis eſt Remp. ſuam nõ modò legum metu vincire, ſed & omnes omnium animos pacis vinculo continere, omnẽque rixarum & veterum contentionum occaſionem adimere. Id exemplo Thraſybuli palam fit, de quo Aemilius Probus, & Iuſtinus lib. 5.

iuſtis armis.] pro ſalute patriæ.

patriam.]

patriam.] qua nihil debet esse charius: & pro qua mortem oppetere sapiens non dubitabit.

Thrasybulus.] nomen moribus conueniens, quasi audax consiliarius.

Dumq; simultates.] suadet abolendas veteres iniurias, At verò parum fuisset arma cepisse ad tyrannos expellendos, nisi hoc alterum sapienter & prouidè inductum & persuasum esset.

Concors ordo omnis.] omnes Atheniensium ordines: optimates cum plebe vnanimes.

magni instar muneris.] ciuica eum corona donarunt, summi honoris loco. Et fiebat ex oliuę fronde, aut querna, interdumque ilice. Gell. 5.6. Plin. 16.4.

Palladia sertum frondis.] oliuę, quæ Palladi sacra, vt dictum ante.

geras hunc solus honorem.] qui cæteros virtute antistas, solus eo honore dignus repertus.

In magna vrbe.] Atheniensi. Olim Athenæ ἄϛυ dictæ per excellentiam: vt Alexandria πόλις. Omnes tibi optimè volunt: nullus non tibi debitum honorem decernit.



Q Stre-

Strenuorum immortale nomen.

EMBLEMA CXXXV.



ÆACIDAE tumulum Rhœteo in littore cernis,
Quem plerumque pedes visitat alba Thetis.
Obtegitur semper viridi lapis hic amarantho;
Quòd nunquam Herois sit moriturus honos.
Hic Graium murus, magni nex Hectoris. Haud plus
Debet Mæonidæ, quàm sibi Mæonides.

EXPLICATIO CLAVD. MIN.

SVMPTVM ex 3. Græcor. Epigrammat. & Pausania in Atticis: quo intelligitur, heroum & clarorum virorum famam perpetuò apud posteros quasi virescere, nunquam intermori, nunquam marcescere.

Aeacidæ tumulum.] Achillis sepulcrum.

Rhetæo in littore] vel potius Sigæo: quod nobilitatum fuit Achillis sepulcro: sicut Rhetæum, Aiacis. Est ergo hic

hic Alciati μνημονικὸν ἁμάρτημα.

Quem plerumque] quem interdum inuisit Thetis, pedibus alba dea, λευκόπους. Ouid. in Epist. Heroid.

Et Thetidis quales vix reor esse pedes.

Hoc autem dicit, quia marini fluctus sępe alluunt Achillis tumulum.

Obtegitur semper.] saxum hoc sepulcrale tegitur amarantho viridi. Amaranthus ab α, & μαραίνομαι, quod nunquam marcescat. Plin. 21. 8.

Quod nunquam Herois.] τῶν ἡρώων ὁ κλέος ἀθάνατος.

Graium murus.] princeps Græcorum fortissimus: quo stante Græci mansere inuicti.

magni nex Hectoris.] qui Hectorem, Troianorum fortissimum interfecit.

Haud plus debet Mæonidæ.] Achilles non plus Homero debet, à quo eius virtutes celebratæ carminibus, & sine quo nomen Achillis ad posteros non peruenisset, quàm Homerus Achilli. Cùm enim sibi proposuit tam excellentem ὑπόθεσιν Iliados in gestis Achillis carmine decantandis, id est, Imperatoris sine exceptione magni, ea materia si caruisset, nomen eius ignotum foret posteris, eiusque doctrina siluisset, visque tam diuini ingenij vna cum homine perijsset. Itaque Homerus Achilli multum debet.



Nobiles, & generosi.

EMBLEMA CXXXVI.



AVREA Cecropias nectebat fibula vestes,
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit:
Calceus, Arcadico suberat cui lumula ritu,
Gestatur patribus mullea Romulidis.
Indigenas quòd se adsererent, hæc signa tulerunt
Antiqua illustres nobilitate viri.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

APVD Athenienses Cicada nobilitatis insigne fuit: aureas enim cicadas crinibus innodabant, & vestibus intexebant, quòd iactarent se indigenas esse & nobiles. Romani verò lunulas habebant in calceis: quem morem etiam fuisse Arcadibus historiæ prodiderunt. quo symbolo conditionem Imperij Romani designari sunt com-

commenti id enim ſenſim creuit, & lapſu temporum decreuit, vt obſeruamus in orbe Lunæ : alij ſuperbos animos admoneri rerum inſtabilitatis aiunt.

Aurea Cecropias] Athenienſium veſtes nectebantur aurea fibula, cui fibulæ annexa erat cicada dentata.

Calceus Arcadico ritu.] ad morem Arcadū, calceus, ſiue mullea, geſtabatur à Romanis, cui inerat imago Lunæ: vel, qui calceus habebat Lunæ formam.

patribus Romulidis] Romanis patricijs.

indigenas.] non aliunde genitos, ἀυτόχθονας.

hęc ſigna] ſymbola.

Antiqua illuſtr.] qui ſuum antiquum genus oſtentarent.



Duodecim certamina Herculis.

EMBLEMA CXXXVII.



ROBORIS inuicti superat facundia laudes:
Dicta sophistarum, laqueosq́; resoluit inanes:
Non furor aut rabies virtute potentior vlla est:
Continuum ob cursum sapienti opulentia cedit:
Spernit auaritiam, nec rapto aut fœnore gaudet:
Vincit femineos spoliatq́; insignibus astus:
Expurgat sordes, & cultum mentibus addit:
Illicitos odit coitus, abigitq́; nocentes:
Barbaries feritasq́; dat impia denique pœnam:
Vnius virtus collectos dissipat hostes:
Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris:
Docta per ora virum volat, & non interit vnquam.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DVODECIM præcipua Herculis fortiſſimi, & inuictiſſimi herois certamina, quæ vulgò circumferuntur, hic allegoricῶs explicantur: cum nempè vi eloquentiæ robuſtos quoſque & viribus præditos exſuperaſſe: ſophiſtas retudiſſe logicæ facultatis beneficio: virtute furorem coercuiſſe: continuis laboribus opes compaſſe: auaritiam aſpernatum eſſe: libidinem muliebrem repreſiſſe: cultum animis adieciſſe: nocentes abegiſſe: de barbaro homine ſupplicium ſumpſiſſe: ſua vnius virtute hoſtes in vnum coeuntes diſieciſſe: multas ſecum opes è locis exteris in patriam reportaſſe: famam nominis nunquam intermorituram rebus præclarè geſtis meritum eſſe.

Roboris inuicti.] quod vinci non poſſe videbatur. Allegoria eſt huius, *Prima Cleonęi tolerata ærumna Leonis.* Eſt ergo eloquentia viribus corporis præſtantior.

Dicta ſophiſtarum.] Sic ille.

Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram.
quod eſt ſophiſtarum paralogiſmos (quos laqueos dicit) exſoluere, vanos illos quidem, & ad oſtentationem ſeu fallaciam comparatos.

Non furor aut rabies.] Exponit hoc.

Mox Erymanthæum vis tertia perculit aprum.
Nulla vis virtute potẽtior, quæ etiam furori non cedat.

virtute.] ἀνδρεία, eſt enim propria viri fortitudo.

potentior.] valentior, firmior.

Continuum ob curſum.] Sic poeta.

Aeripedis quartò tulit aurea cornua cerui.
Opes cedunt ſapienti, mentis animique labore, & curſu indefeſſo.

Spernit auaritiam.] Illud eſt.

Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
nempè, vir ſapiens pecuniæ ſtudium nunquam concupiuit. Salluſt.

nec rapto aut fœnore.] Atqui tantum abest vt ſapiens rapto gaudeat, vt etiam à turpi lucro omni abhorreat.

Vincit femineos.] Illius eſt declaratio.

Threiciam ſexto ſpoliauit Amazona balteo.

Meretricias artes omnes deteſtatur, inq; ordinem cogit, & ſpoliat ornamentis, quibus homines capiebantur. Vel, detrahit ornamenta, quæ non meretrici, ſed matronę honeſtæ debentur.

Expurgat ſordes.] eſt illius ἐπιμύθιον,

Septima in Augię ſtabulis impenſa laboris.

nempè, ſapientia prima ſtultitia caruiſſe. debet enim ad curandos animos antecedere pręparatio diligens.

cultum mentibus addit.] cultus animi, philoſophia.

Illicitos coitus.] natura vel lege prohibitos, fabula ſic habet: *Octaua expulſo numeratur adorea tauro.*

Taurus & Laſtaurus in Hieroglyphicis, obſcęnum verbum.

abigit nocentes.] ſit ἀλεξίκακος, nomen Herculi tributum.

Barbaries, feritasq;] Exponit hoc.

In Diomedæus victoria nona quadrigis.

quas barbari pœnas intulerunt alijs, ipſi tandem perferunt.

Vnius virtus.] illius eſt ſolutio.

Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.

collectam & vnanimem hoſtiũ multitudinem ſua vnius virtute compreſſit. De Geryone ſupra.

Inuehit in patriam.] huic reſpondet.

Vndecimum mala Heſperidum detracta triumphum.

argumentum boni, & laudati viri, qui patriam externarum rerum ſpolijs locupletet.

Docta per ora.] poſtremum hoc explicatur.

Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

virtutis & eruditionis fama nunquam extinguitur.



In

In nothos.

EMBLEMA CXXXVIII.



HERCVLEOS spurij semper celebretis honores:
Nam vestri Princeps ordinis ille fuit.
Nec prius esse Deus potuit, quàm sugeret infans
Lac, sibi quod fraudis nescia Iuno dabat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CERTISSIMVM est multos iam olim fuisse spurios & nothos, qui virtute & animi dexteritate legitimis ipsis liberis antecelluerunt, quique ea perfecerunt audenti fortique animo, quæ legitimi nunquam attingere nedum exsequi, potuere. Eo de numero fuere Aeneas, Hercules, Theseus, Romulus, Alexāder magnus, alij certè multi; qui tamen ad eos rerum successus vix peruenissent, nisi aliqua portione hæreditaria donatis vt Her-

Hercules nunquam Deus fieri potuiſſet, niſi Iunonis neſciæ mammam ſuxiſſet, vt retulit Iſacius Tzetzes in Lycophronis Caſſandram.

Herculeos ſpurij, &c.] Spurij, & incerto nati patre, nõ debent adeò vereri, quòd ita nati ſint: Herculem enim habent, Deum ſui ordinis anteſignanum, & quaſi principem.

Nec prius eſſe Deus.] nobilitari non potuit, & quaſi natalibus reſtitui.

quàm ſugeret infans.] quàm ei hæreditaria quædam portio bonorum obtingeret.



Impa-

Imparilitas.

EMBLEMA CXXXIX.



VT ſublimè volans tenuem ſecat aera falco,
Vt paſcuntur humi graculus, anſer, anas:
Sic ſummum ſcandit ſuper æthera Pindarus ingens;
Sic ſcit humi tantùm ſerpere Bacchylides.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Pindari 2. Olymp. vbi ſe cum Iouis alite comparat: alios verò poetas non alio quàm coruorum dignatur nomine. hac verò ſimilitudine oſtenditur non paruam obſeruari in ingenijs inęqualitatem, ſunt enim qui cæteris antecellant, altumque volitent: alij vero humi repunt.

ſublimè volans.] volatu ſumma aera petens.
paſcuntur humi.] humi gradiuntur.

Sic ſummum.] felix ingenium præſtantiſſimi Lyricorum Pindari. Horat. 4. Carm. Plin. 7.29. Macrob. 5. Saturnal.

humi ſerpere.] tenui ſtilo vti, Horat.

Serpit humi tutus nimium, timidusq́ procellæ.

Bacchylides.] Lyricus, de quo Suidas & Aelian.

In deſciſcentes.

EMBLEMA CXL.



QVOD *ſine egregios turpi maculaueris orſus,*
In noxamq́ tuum verteris officium;
Feciſti, quod capra, ſui mulctralia lactis
Cùm ferit, & proprias calce profundit opes.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CVM quiſpiam toto fermè curriculo ætatis prudenter probeque ſe geſſerit, & in extrema ſenectute, vel etiam

etiam post præclarè facta flagitium aliquod admittit, efficit, quod capra, quę mulctram suo plenam lacte dispergit. Id petitum è Prouerb. Capra Scyria.

fine turpi.] fędo exitu .i. post perfectum opus cum aliqua laude, statim descinueris: labem tibi asperseris, immemor laborum ante actorum: indecorè, insolenter, superbè, impotenter te gesseris.

In noxamq;] ex beneficio maleficium admiseris: commodum conuerteris in noxam & incommodum.

fecisti, quod capra.] itidem atque capra, quæ vbi è distento vbere mulctrale complerit, calcis ictu dispergit, quod erat iam vtiliter paratum.



AEmulatio impar.

EMBLEMA CXLI.



ALTIVOLAM miluus comitatur degener harpã,
Et prædæ partem sæpe cadentis habet.
Multum prosequitur, qui spretas sargus ab illo
Prætentasq; auidus deuorat ore dapes.
Sic mecum Oenocrates agit: ad deserta studentum
Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

FEREBAT ægrè Alciatus æmulum quempiam esse sibi syndromum, eum quidem legum interpretẽ, auditores quosdam ad sese allicientem, gloriam Alciati quantum poterat, obscurantem, vel potiùs laudis portionem suffurantem: quem ideo stilo confodit, duplici similitudne, & conficto nomine Oenocratis, quasi dicas meripo-

ripotorem.

miluus degener.] Id ἀλληγορικῶς accipe. i. doctor quidam extra ordinem, imperitus leguleius.

harpam.] doctorem alium præstantem. De harpa Plin. 11. 74.

sargus.] de quo supra.

Mullum prosequitur.] Plin. 9. 17. & 33. 11.

Oenocrat es.] vinosus quidam doctor.

deserta studentum curia.] à me relicta decuria studentium: quàm classem Parisini dicunt: id est, auditorium. Ergo deserta studentum curia erit de curia illa, qua cesserat antè Alciatus.

tanquam lippo oculo.] Prouerb. Plauti, Lippo oculo vtitur: id est, re vtitur, qua carere non posit, vt velit.



Albutij

Albutij ad D. Alciatum, ſuadentis, vt de tumultibus Italicis ſe ſubducat, & in Gallia profiteatur.

EMBLEMA CXLII.



QVÆ dedit hos fructus arbor, cælo aduena noſtro,
Venit ab Eoo Perſidis axe priùs.
Tranſlatu facta eſt melior, quæ noxia quondam
In patria, hic nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi:
Alciate hinc vitam degere diſce tuam.
Tu procul à patria in pretio es maiore futurus;
Multùm corde ſapis, nec minùs ore vales.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PERSICI ſymbolum Alciato tributum memini ex Iouio, cum hac inſcriptione, TRANSLATA PRO-

PROFICIT ARBOS. Perſicum pomum in Perſide virulentum fuit; in Italia conſitum, loci mutatione noxium eſſe deſit: Sic Alciatus procul à patria in pretio maiore habitus. Vtque Perſicum habet linguæ ſimile folium, pomum verò cordi: ſic idem multum eloquentiæ laude pręſtat, prudentięque dote inſignitus eſt.

cœlo aduena noſtro.] noſtro ſolo implantata; cùm primùm in Perſide nata eſſet.

quæ noxia quondam.] toxicum ferebat, vt apud Colu mell. Galenum, Paull. Aeginetam, Plutarc. quod tamen Plinio non ſit veriſimile lib. 5.

fert folium linguæ.] Plutarch. de Iſide.



Princeps ſubditorum incolumitatem procurans.

EMBLEMA CXLIII.



TITANII quoties conturbant æquora fratres,
Tum miſeros nautas anchora iacta iuuat:
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius vt poſſit figier illa vadis.
Quàm decet hæc memores geſtare inſignia Reges,
Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EODEM omnino ſenſu dixit Marcellinus lib. 29. *Imperium eſſe curam ſalutis alienæ.* Princeps enim debet habere perſpectum ſe ſibi minimè natum eſſe, ſed populi quieti & ſaluti. Vtque Delphinus futuram tempe ſtatem

ſtatem prę ſagit, vt ait Plinius, ipſamq́; nauis anchorã iactam, tutius vt figatur, dirigit: eodem modo Princeps ſuorum ſaluti debet proſpicere, ſed potiſsimùm ſęuiente aliqua tempeſtate, belliq́ue impetu aduentante.

Titanij quoties.] quoties ventis mare commouetur, nautę anxij confugiunt ad anchoram.

pius erga homines.] φιλάνθρωπος.

imis tutius.] vt firmius figi poſsit vadis pelagi.

Anchora quod naut.] Ancora, ſymbolum boni principis, quo ſui in ſubditos officij admoneatur.



In Senatum boni Principis.

DIALOGISMUS.

EMBLEMA CXLIIII.



EFFIGIES manibus truncæ ante altaria diuum
Hinc resident, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summę, sanctiq; Senatus
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graues decet esse quieta
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur sine sunt manibus? capiant ne xenia, nec se
Pollicitis flecti muneribusve sinant.
Cæcus at est Princeps, quòd solis auribus, absque
Affectu, constans iussa Senatus agit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PRAETER Plutarchum, Commentario de Iside, meminere plures huius simulacri optimorum apud Thebanos iudicum. Sedent quidem senatores, vt admoneantur constantię & grauitatis, neque se studio vel gratia flecti patiantur. Sunt sine manibus, vt manus contineāt à muneribus capiūdis. Princeps ipse cæcus, ne affectu quodam moueatur, solis ad iudicium ferendum vtatur auribus.

manibus trunca.] truncatis.

ante altaria diuum.] sacris in ędibus.

lumine capta prior.] prima effigies Principis, oculis capti.

resident.] sedent.

Signa potestat.] symbola consessus optimi Principis, & integerrimi Senatus.

xenia.] munera. quod legibus diuinis & humanis vetitum.

absque affectu.] studio vel fauore, quem appellant.



Consiliarij Principum.

EMBLEMA CXLV.



HEROVM genitos, & magnum fertur Achillem
In stabulis Chiron erudiisse suis.
Semiferum doctorem, & semivirum Centaurum,
Assideat quisquis Regibus, esse decet.
Est fera, dum violat socios, dum proterit hostes:
Estq; homo, dum simulat se populo esse pium.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CHIRON Centaurus superiore sui parte homo, equus inferiore, datus creditur Achilli pędagogus: ex quo notantur Regum & Principum consiliarij, qui ferinam naturam induunt, cùm Principi praua cōsilia suggerunt, vel populares suos pecunijs emungunt: speciem humanitatis habent, cùm iustitię & pietatis imagine populum sibi deuinciunt.

In stabulis.] in sua quasi schola. inseruit figmento, quòd Chiron ferinæ naturæ fuerit.

Semiferum doctorem, &c.] qui præceptis instituat sæuis & inhumanis interdum, tamen aliquam præ se humanitatem ferens.

Est fera.] reuera χείρων Principum consiliarius ferinam naturam induit, cum socijs se exitiosum præstat.

dum simulat se.] versutus, vafer, vt ille qui describitur Emblemate 5.



Opulentia tyranni, paupertas ſubiectorum.

EMBLEMA CXLVI.



HVMANI quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus,
Fiſco aucto arguitur ciuica pauperies.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc fuit Traiani Cæſaris apophthegma, qui fiſcũ lienem appellabat, quòd eo creſcente reliqua membra tabeſcerent. Graui certè malo Reipub. Princeps auarus naſcitur, qui vectigalibus immenſis, alijsq́ue exactionibus plebeculam conijciat in ſummam inopiam, ex quo publicæ rei corpus tabidum languet, peneq́; emoritur.

Humani quod ſplen.] quod ſplen eſt in corpore, hoc fiſcus in re populi.

Splene aucto] intumescente, facto tumidiore.

tabescunt corporis artus.] cætera membra corporis tabida fiunt.

arguitur ciuica pauperies] argumento est populi, reique publicæ exesæ & comminutæ paupertas.

Quod non capit Christus, rapit fiscus.

EMBLEMA CXLVII.



EXPRIMIT humētes, quas iam madefecerat ante,
Spongiolas cupidi Principis arcta manus.
Prouehit ad summum fures, quos deinde coercet,
Vertat vt in fiscum quæ malè parta suum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Suetonio in Flauio Vespasiano. Is procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria

duſtria ſolitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò pro ſpongijs dicebatur vti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. hæc ille.

humentes ſpongiolas.] humidas ſpongias.


cupidi Principis arcta manus.] Princeps auarus.

fures.] depeculatores. Furum enim generale nomen: at hic peculatus arguitur.

coercet.] punit.

Principis clementia.

EMBLEMA CXLVIII.



VESPARVM quòd nulla vnquã Rex ſpicula figet,
Quòdq; alijs duplo corpore maior erit;
Arguet imperium clemens moderataq; regna;
Sanctaq; iudicibus credita iura bonis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

IDEM fermè habet Plato, dialogo de Regno: talem enim ciuitatibus regem optat, qualis inter apum examina rex naſcitur, vt & corpore & animi dotibus ſit inſignior & præſtantior. Rex apum aculeo caret; aut ſi habet, eo non vtitur: ita bonus Princeps ad puniendum tardus eſſe debet, ad clementiam verò pronus.

Veſparum.] vel apum potiùs, vt ex Plinio, alijsque, facilè ante colligebam. Sed cùm me refero ad cap. 15. lib. 5. Aeliani de animal. id propriè, & ſine catachreſi dictum video, niſi hoc nomine *Veſparum*, alludere tacitè velit hic noſter ad Veſpaſianos, Flauium & Titum, laudatiſſimos principes, de quibus Sueton. & Tacit.

nulla vnquam rex ſpicula.] qui aculeo caret; vel ſi habeat, eo non vtitur. Vide Senec. 1. De clementia, 19. & Plin. lib. 11. cap. 16.

Arguet.] oſtendet.

imperium clemens.] regis clementiam.

credita iura.] commiſſam iuriſdictionem.

bonis iudicibus.] æquis magiſtratibus.



Salus

Salus publica.

EMBLEMA CXLIX.



PHOEBIGENA erectis Epidaurius insidet aris,
Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniatq́; salutifer orant.
Annuit, atq́; ratas efficit ille preces.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc quanquam erutum è fabulis Poetarum, & historia Romana, non video ad quem vsum maximè conuertam, nisi ad eam salutem publicam, quam nobis attulit CHRISTVS seruator, verus animarum languentium Aesculapius, qui sub serpentis imagine appensus in deserto à Mose, omnes omnium morbos sanauit, & in cruce tandem omnes noxas & crimina expiauit.

phœbi-

phœbigena.] Phœbo genitus.

Epidaurius.] Aesculapius Val. Max. 1. cap. de miraculis. Plin. 24. 4. Ouid. 5. Metamorph.

Mitis & imm.] lenis & placidus, quanquam sub specie serpentis.


Annuit.] Ouid. 15. Metam.

Annuit his, motisq; Deus rata pignora cristis.

ratas preces] rata vota.

Respublica liberata.

EMBLEMA CL.



CAESARIS exitio, ceu libertate recepta,
Hac ducibus Brutis cusa moneta fuit.
Ensiculi in primis, queis pileus insuper astat,
Qualem missa manu seruitia accipiunt.

EXPLICAT· CLAVD. MIN.

EX Dione lib. 47. Occiſo à coniuratis Caio Cæſare, ij ceu recepta libertate, fabricari numiſma curarũt, in cuius altera parte duo pugiones, in altera pileus. Pugiones cædem patratam deſignabant: libertatis verò nota pileus: quod ex multis auctorum veterum locis cognoſcere eſt.

Cæſaris exitio.] Iulij Cæſaris morte.

ceu libertate recepta.] tanquam excuſſo tyranni iugo, ſublato dominio.

ducibus Brutis.] vtroque Bruto, M. & Decimo, Caſſio, Trebonio, alijsque coniuratis in Cæſarem.

cuſa moneta.] cuſus numus.

Enſiculi in primis.] vna ex parte gladius, altera pileus manumiſſorum.

miſſa manu ſeruitia.] ſerui manumiſſi, donati libertate.



In vitam humanam.

EMBLEMA CLI.



PLVS solito humanæ nunc defle incommoda vitæ
Heraclite: scatet pluribus illa malis.
Tu rursus si quando aliàs, extolle cachinnum
Democrite: illa magis ludicra facta fuit.
Interea hæc cernens meditor, qua denique tecum
Fine fleam, aut tecum quomodò splene iocer.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTVM è Græco. Democritus domo egressus, risu omnia solebat excipere, quòd omnia illi ridenda videreatur: contra Heraclitus deflebat, quòd nihil nō miserum & deplorandum intueri cogeretur. Ex quo opinionum conflictu incertum relinquitur, vtrum satius sit ridere ineptias, an deflere miserias: & an alter sit alte-

ro sapientior, vt meritò sit interponenda longa deliberatio di mora.

extolle cachinnum.] ride effusè. Persius.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

splene iocer.] abundè rideam. Pers. idem.

——*sum petulanti splene cachinno.*

Aere quandoque salutem redimendam.

EMBLEMA CLII.



ET pedibus segnis, tumida & propendulus aluo,
Hac tamen insidias effugit arte fiber.
Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit,
Atque abicit, sese gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,
Et, vitam vt redimas, hostibus æra dare.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

APOLOGVS Aesopicus de Castore, quem proditum est sibi testes abscindere, & venatoribus relinquere, vt ita vitæ consulat. Ex quo docemur viros prudentes non ægrè ferre iacturam pecuniarum, dum suæ vitæ ita prospiciant, maximè verò dum ita necessitas vrget, vt de vita, vel de bulga sit periclitandum.

Et pedibus segnis.] quanquam sit tardipes, tardo ingressu.

tumida propendulus aluo.] ventrem habens pendulum, sit tumenti & pendulo ventre.

insidias.] venatorum.

fiber.] Castor.

Mordicus ipse.] dentibus auellit sibi genitales partes, rebus aptas medicis.

abicit] abijcit, eas linquit venatoribus.

gnarus ob illa peti.] nescio, quo instinctu naturę se peti sciens ob genitalia. Plinij hæc verba lib. 8. 30. quòd easdem partes sibi ipsi Pontici amputant fibri, periculo vrgente, ob hoc se peti gnari.

non parcere rebus.] non esse parcendum fortunis & facultatibus

Et, vitam vt redimas.] vt vitæ consulas, nummos abijcere, pecuniam hostibus numerare.



Cum laruis non luctandum.

EMBLEMA CLIII.



ÆACIDAE moriens percußu cuſpidis Hector,
Qui toties hoſtes vicerat ante ſuos;
Comprimere haud potuit vocem, inſultantibus illis,
Dum curru & pedibus nectere vincla parant.
Diſtrahite vt libitum eſt: ſic caſſi luce leonis
Conuellunt barbam vel timidi lepores.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Homero. Iliad. χ. & incerti cuiuſdam epigrammate. Græci Hectorem penè iam mortuum circumſtantes laceſſebant, eiq; inſultabant; nec erat qui exſtincto vulnus non infligeret. Ita plerique meticuloſi & ignaui cum non audeant viuos impetere, quorum aſpectum vix ſuſtinerent, in mortuos audaculi debacchantur.

Æacidæ

Æacidæ moriens.] Hector iam morti proximus, ictu Achillis in terram deiectus.

Comprimere haud potuit.] non potuit eius vox ab illis non exaudiri in se insilientibus.

Dum curru.] currui in quo vehebatur Hector.

parant.] Græci hostes.

Distrahite.] discerpite me.

cassi luce.] mortui.

Conuellunt barbam.] Prouerb. Barbam vellere.



De Morte & Amore.

EMBLEMA CLIV.



ERRABAT *socio Mors iuncta Cupidine: secum*
Mors pharetras, paruus tela gerebat Amor.
Diuertere simul, simul vna & nocte cubarunt:
Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
Alter enim alterius malè prouida spicula sumpsit;
Mors aurata, tenet ossea tela puer.
Debuit inde senex qui nunc Acheronticus esse,
Ecce amat, & capiti florea serta parat.
Ast ego mutato quia Amor me perculit arcu,
Deficio, inijciunt & mihi fata manum.
Parce puer, Mors signa tenens victricia parce:
Fac ego amem, subeat fac Acheronta senex.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AVCTOR est Guicciardinus, id carmen ab Alciato scriptum, quo tẽpore in Italia vehemens pestilẽtia ita grassata est, vt permulti iuuenes extremum vitę diẽ clauserint, & senes ferè illæsi atque incolumes manserint. Mutuatum video ex antiqua Græcorum fabula, quam Gallicè tractauit Ioannes Marius Belga, illustrationum Galliæ auctor, & post eum latinis numeris Ioachimus Bellaius, scriptor politus & elegans.

socio cupidine.] Cupidini, casus pro casu.

Mors aurata.] Cupidini auratæ sagittæ à poetis tribuuntur, osseæ vero Morti.

senex Acheronticus.] capularis, & morti proximus: Plautina locutio,

Ast ego.] adolescens emorior, quia Cupido me feriit Mortis telo, non suo.

subeat Acheronta.) moriatur.



In formoſam fato præreptam.

EMBLEMA CLV.



CVR puerum Mors auſa dolis es carpere Amorem,
Tela tua vt iaceret, dum propria eſſe putat?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EIVSDEM argumenti cum ſuperiore. De Morte conqueritur, quæ puellam amabilem tolli ſuſtinuerit ab Amore telo mortifero ſauciam, quæ potius cupidineo affici debuerat. Ita ferè fit, vt puellæ nubiles tumulo recondantur, quæ potius thalamo erant addicendæ.

dolis carpere.] decipere, fallere. Poetarum eſt figmentis ludere, rebus incorporeis corpora tribuere, & quicquid naturale vel fortuitum eſt, ad artem conſilium ve referre.

In mortem preproperam.

EMBLEMA CLVI.



QVI teneras forma allexit, torsitq; puellas
Pulchrior & tota nobilis urbe puer,
Occidit ante diem, nulli magè flendus, Aresti,
Quàm tibi, cui casto iunctus amore fuit.
Ergo illi tumulum, tanti monumenta doloris
Astruis, & querulis vocibus astra feris.
Me sine abis dilecte? neque amplius ibimus unà?
Nec mecum in studijs otia grata teres?
Sed te terra teget, sed fati Gorgonis ora,
Delphinesq; tui signa dolenda dabunt.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ET hoc paratum sepulcro cuiusdam formosi & nobilis & studiosi adolescentis morte præmatura ra-

pti. Amicus enim ad luctus certè magni & beneuolenti testificationem tumulo Delphines affingit, amicitiæ indices (est enim Delphin φιλανθρωπίας nota) & Gorgones, sensuum vacuitatis & tristitiæ signa expressissima.

Qui teneras forma.] qui ob formæ dignitatem à puellis erat efflictim adamatus.

tota nobilis vrbe.] nobilissimus eiusdem vrbis.

Occidit ante diem.] raptus est morte præmatura.

nulli magè flendus.] Horatiana imitatio.

Multis ille quidem flebilis occidit;
Nulli flebilior quàm tibi, Virgili.

Ergo illi.] tumulum excitas amicissimo adolescenti.

querulis vocibus.] impensissimè obitum defles.

te terra teget.] humo conditus.

fati.] mortis huius.



Terminus

Terminus.

EMBLEMA CLVII.



QVADRATVM infoditur firmissima tessera saxum,
Stat cirrhata super pectore imago tenus,
Et sese nulli profitetur cedere; talis
Terminus est, homines qui scopus vnus agit.
Est immota dies, præfixaq; tempora fatis,
Deq; ferunt primis vltima iudicium.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HAEC Termini pictura nihil vlli concedentis, mortem significat, quæ ineuitabilem habet in res omnes, nedum homines, necessitatem: ad quam cùm peruenimus, tum solent hominum, qui sunt superstites, liberæ de nobis mortuis esse opiniones atque iudicia.

Qua

Quadratum infoditur.] Hic ſtatuitur ſaxum quadratum.

Stat cirrhata.] ſuper ſaxo trunca eſt pectore tenus effigies hominis cirrhati,beneq́ue pexi.

Et ſeſe nulli.] ſententia verò legitur hac formula, NVLLI CEDO.

homines qui ſcopus.] ad quem ſcopum omnes agũtur homines.

Eſt immota dies.] certus eſt à Deo conſtitutus mortis terminus. Plin.7.40.

Deq; ferunt primis.] ex prĝteritis præſentia ĝſtimantur.



Opu-

Opulenti hęreditas.

EMBLEMA CLVIII.



PATROCLVM falsis rapiunt hinc Troes in armis,
Hinc socij, atque omnis turba Pelasga vetat.
Obtinet exuuias Hector, Graciq; cadauer.
Hac fabella agitur, cùm vir opimus obit.
Maxima rixa oritur, tandem sed transigit hares,
Et coruis aliquid, vulturijsq; sinit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HIc Patroclus, qui non suis, sed alienis armis dimicat, opulentorum imaginem refert, qui alienis fortunę bonis intumescunt: quibus fato functis inter hæredes rixa solet innasci de bonorum iure, vel etiam possessione: quo fit vt litigatores partem inde aliquam abripiant: cadauer humandum datur vespilonibus, & sacerdotibus

dotibus committitur, qui impensas habent funeris.

Troes.] Troiani.

rapiunt.] vt interfectum hostem.

falsis in armis.] indutum armis non suis, sed Achilli

Hinc socij] Græci.

omnis turba Pelasga vetat.] impediunt Græci raptar Patroclum.

exuuias Hector.] de interfecto hoste Patroclo.

Græci cadauer.] vt donetur honore sepulturæ.

vir opimus.] locuples.

transigit hæres.] vt qui nolit aleę iudiciorum fidere.

Et coruis.] aliquid permittit hęredipetis, vespilonibus, sandapilarijs, rabulis fori.



Ami-

Amicitia etiam post mortem durans.

EMBLEMA CLIX.



ARENTEM senio, nudam quoque frōdibus ulmum
Complexa est viridi vitis opaca coma:
Agnoscitq; vices naturæ, & grata parenti
Officij reddit mutua iura suo.
Exemploq; monet, tales nos quærere amicos,
Quos neque disiungat fœdere summa dies.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID ex Græco Antipatri: quo docemur amicos nobis esse deligendos, qui nec temporis diuturnitate, & ne quidem post mortem ipsam amare desinant. quod dictum fuisse Phocionis, retulit Stobæus.

Arentem senio] senectute arescentem.
nudam.] exutam folijs.

Agno-

Agnoſcitq́; vices naturæ.] quæ ſunt, vt è puero vir, è viro ſenex fiat, immutabili naturæ communis lege.
grata parenti.] rependit officium, quod ab vlmo acceperat.

Mutuum auxilium.

EMBLEMA CLX.



LORIPEDEM ſublatum humeris fert lumine captus,
Et ſocij hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors ſic præſtat vterque:
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ID extulit ex Græcorum Epigrammatis quibuſdam quo admonemur, eum eſſe in rebus omnibus humanæ naturæ conſenſum, vt nihil omninò ſit, quod non egeat

liena opera & auxilio mutuo: cum videamus id quasi de
ndustria naturam voluisse, vt singuli singulis dotibus,
non autem omnibus donarentur, quo singuli quicquid
haberent, alijs communicarent.

Loripedem.] tardipedem, pedum vsu carentem.
lumine captus.] cæcus.
munera retribuit.] beneficia rependit.
Mutuat.] mutuatur.
hic oculos.] tardipes, claudus.
ille pedes.] cæcus.



Auxi-

Auxilium nunquam deficiens.

EMBLEMA CLXI.



BINA pericla vnis effugi ſedulus armis,
Cum premererq́ʒ ſolo, cum premererq́ʒ ſalo.
Incolumem ex acie clypeus me præſtitit idem
Naufragum apprenſus littora aduſque tulit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SCVTVM nuſquam in quouis periculo deficiens, ſed & in ijs auxilium præſtans, quæ videntur alioqui abhorrere ab vſu proprio & naturali, typus eſt amici veri nunquam non ferentis opem, etiam in ijs, quæ videntur à ſua facultate penè omnino aliena eſſe. Sumptum id è Græco Iulii Leonidæ, de clypeo Myrtilli.


Bina pericla.] duo, nempe in terris, & in mari.
vnis armis.] vno & eodem ſcuto.

Cum

Cum premerer solo.] cum dimicarem terrestri prœlio. *premerer salo.*] cum aquis penè periclitarer, iisque obruerer.

Gratiæ.

EMBLEMA CLXII.



TRES Charites Veneri assistunt, dominamq́ue sequuntur,
Hincq́ue voluptates, atque alimenta parant.
Lætitiam Euphrosyne, speciosum Aglaia nitorem,
Suadela est Pithus, blandus & ore lepos.
Cur nudæ? mentis quoniam candore venustas
Constat, & eximia simplicitate placet.
An quia nil referunt ingrati, atque arcula inanis
Est Charitum? qui dat munera, nudus eget.
Addita cur nuper pedibus talaria? bis dat ,
Qui citò dat: minimi gratia tarda preti est.

T *Impli-*

Implicitis vlnis cur vertitur altera? gratus
Fœnerat: huic remanent vna abeunte duæ.
Iuppiter ijs genitor, cæli de ſemine diuas
Omnibus acceptas edidit Eurynome.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

TRES Gratiæ neminem non allicientes ad ſui amorem, lętę, pulchræ, & ſuaui eloquio prędıtæ: nudæ ideo, quia ſimplices, & alienę ab omni fuco, ad obſequiū promptę, ad repoſcendum non item: amore mutuo iunctę inter ſeſe, ſunt affectu planè cœleſti ac diuino, omnibus grato & accepto.

Veneri aſſiſtunt.] Pauſan. Aeliacis poſterioribus.

Hincq; volupt.] ſuppeditant voluptatum omnium materiam.

Euphroſyne.] nempè παρὰ τὸ ἐυφραίνειν, lętum reddere.

Aglaia.] ἀγλαΐζειν eſt ornare, ſeu honorare.

Suadela eſt Pithus.] Pitho, ſeu Suada, perſuadendi vis.

mentis candore.] puritate, ſimplicitate.

arcula inanis eſt Charitum.] notum illud Simonidis, cum diceret ſe arcas habere duas, vnam Grariarum, argenti alteram: illam inanem eſſe, hanc verò ſolam commodam.

bis dat, qui citò.] In Mimis Publij.

Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

Prouerb. Bis dat, qui citò dat.

vlnis.] brachiis.


Eurynome.] Eurynome, quaſi làtipaſcua, à latè patentibus paſcuis.



In

In detractores.

EMBLEMA CLXIII.



AVDENT flagriferi matulæ, stupidiq; magistri
Bilem in me impuri pectoris euomere.
Quid faciam? reddam ne vices? sed non ne cicadam
Ala vna obstreperam corripuisse ferar?
Quid prodest muscas operosis pellere flabris?
Negligere est satius, perdere quod nequeas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SCRIPTVM id in Frãciscum Floridum, hominem alioqui doctum, sed petulantẽ tamen & effrenis oris, qui in Iuriscõsultos magni nominis, Zazium, Budęum, Alciatum debacchatus erat. Homines certè liberaliter instituti contumeliam ferunt impotentiùs, quę illata sit à contempto & inerti conuiciatore, cum quo congredi vel

turpe ſit, vel indignum certè putetur.

flagriferi.] flagritribę

matulæ.] matelliones viliſſimi.

ſtupidi magiſtri.] communi ſenſu carentes.

Bilem in me.] virus acerbitatis in me vomere, libellis famoſis me proſcindere, blaterare.

reddam ne vices?] eos ne dignabor reſponſo?

cicadam obſtreperam.] Prouerb. Cicadã ala corripere.

Quid prodeſt muſcas.] quid iuuat μυοσοβεῖν,

Negligere eſt.] Non eſt impendendus labos in eo perſequendo fugiendove, quod vitare nequeas.



Inanis

Inanis impetus.

EMBLEMA CLXIV.



LVNAREM noctu, vt speculum, canis inspicit orbem,
Seq; videns, alium credit inesse canem,
Et latrat: sed frustra agitur vox irrita ventis,
Et peragit cursus surda Diana suos.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOC dicitur in rabiosos quosdam obtrectatores, qui viris grauibus, & iis maximè qui celebritatem aliquam nominis sua virtute consecuti sunt, detrahere audent, in quos allatrant, vt canis in lunam: quos tamen in rabiem agi videas, cum se contemptui haberi vidēt ab iis, qui ne quidem eos responsione dignantur.

Lunarem noctu] Canis cum inspiceret orbem Lunę, vt speculum: vel, qui ei videbatur vt speculum.


Seq; videns.] ſuam vmbram.

fruſtra agitur, &c.] temerè latratum edit, neq; minabundus aliquid proficit. Sic dixit Lucretius 4.

tu fac, ne ventis verba profundam.

Aliquid mali propter vicinum malum.

EMBLEMA CLXV.



RAPTABAT torrens ollas, quarum vna metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa, velit ſibi proxima ferri,
Iuncta vt præcipites vtraque ſiſtat aquas.
Cui lutea, Haud nobis tua ſunt commercia curæ,
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam ſeu te nobis, ſeu nos tibi conferat vnda;
Ipſa ego te fragilis ſoſpite ſola terar.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

MONEMVR cum potentioribus aut improbis societatem nõ esse ineundam, quia si quid infortunii, damnive acciderit: in infirmiorem semper reclinari soleat. Apologus Aesopo tribuitur. Idem omnino est Ecclesiastici cap. 13. Titulus verò Emblematis petitur è Plauti Mercatore.

Raptabat torrens.] duę ollę natabant in torrente, altera è metallo, altera terrea.

Hanc.] terream, luteam.

rogat illa.] è metallo ficta.

Iuncta vt pręcip.] vt coniunctę facilius impetum aquarum sistant.



In eum, qui truculentia ſuorum perierit.

EMBLEMA CLXVI.



DELPHINEM inuitum me in littora compulit æſtus,
Exemplum, infido quanta pericla mari;
Nam ſi nec proprijs Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines nauibus eſſe putet?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

DELPHIN marinis fluctibus eiectus ad littora, virum quendam magnũ probumq́ue repræſentat, à ſuis popularibus, beneficii loco, damna, iniurias, mortemq́ue ipſam indigniſſimè paſſum: quales fuiſſe accepimus Socratem, Ariſtidem, Phocyonem, Demoſthenem, Ciceronem, aliosq́ue multos, de quibus plena antiquitatis monumenta.

me inuitum.] me reluctantem, nihil tale cogitantem, innoxium.

in littora compulit æstus.] nimia maris aquarum siccitas.

Exempl. infid.] quod poteſt exemplo eſſe, quantis infidum mare periculis, quantoque diſcrimine ſæuiat: vel, vt ἀλληγορικῶς, quot rixis & ſimultatibus laboret Reſpub.

Nam ſi nec prop.] ſi enim mare non ſeruat eos quos in lucem edidit; id eſt, ſi princeps vel populus ſuos ciues non tuetur, iis non ignoſcit, eosque miſerè de medio pellit.

Quis tutos homines.] num valdè periculoſum ſe marinis fluctibus committere? quàm parùm tutum eſt πολιτεύεσθαι, ſeq; Reip. ventis & fluctibus credere? Obiter moneo alluſum hic videri ad Prouerb. Maritimi mores.



Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.

EMBLEMA CLXVII.



BELLORVM cepisse ferunt monumenta vicissim
Scutiferum Aiacen, Hectoraq́ Iliacum.
Baltea Priamides, rigidum Telamonius ensem,
Instrumenta sua cepit vterque necis.
Ensis enim Aiacem confecit; at Hectora functum
Traxere Æmoniÿs cingula nexa rotis.
Sic titulo obsequij, quæ mittunt hostibus hostes
Munera, venturi præscia fata ferunt.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EPIGRAPHA huius sumitur ex Aiace flagellifero Sophoclis, carmen verò è quodam Epigrammate Græco: ex quo intelligimus, munera ab hoste missa sæpè discrimen aliquod, aut etiam mortem ipsam portendere. quocirca

quocirca veteres munera volebant obseruari, quo animo mitterentur.

Bellorum monumenta.] ἐκ πολέμου μνῆμα φιλίης, vt est in Græco Epigrammate.

Scutiferum Aiacem.] φεράσπιδα Αἴαντα: quod epitheton Poetis frequens.

Baltea.] balteum, zonam militarem, Hic pluralis pro singulari, συνεκδοχικῶς.

Priamides.] Hector, Priami filius.

Telamonius.] Aiax Telamonis filius.

Instrumenta sua.] vterq; accepit suę necis pręsagium: vtrique fuit exitio suum donum.

Ensis enim.] Aiax enim ense confossus est.

at Hectora f.] Hector ter raptatus est circum Iliacos muros.

rotis Aemonijs.] Thessalicis rotis. Aemonia, Thessalia, pro Græcia: συνεκδοχικῶς.

Sic titulo.] obtentu, prætextu, specie.

obsequij.] animi beneuoli.

venturi præscia fata ferunt.] portendunt mortis euentum.



A mi-

A minimis quoque timendum.

EMBLEMA CLXVIII.



BELLA gerit Scarabeus, & hostem prouocat vltrò,
Robore & inferior, consilio superat.
Nam plumis Aquilæ clam se neque cognitus abdit,
Hostilem vt nidum summa per astra petat.
Ouaq; confodiens, prohibet spem crescere prolis:
Hocq; modo illatum dedecus vltus abit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

APOLOGVS est Aesopicus, quo monemur non esse contemnendum hostem, quamquam imbecillum, aut etiam infimæ sortis: aut neminem, vel contemptissimum esse prouocandum, quia, vt cætera desint, potest esse tamen dolis & fraude instructissimus; & eò magis ille formidandus, cui nihil est quod amittat.

hostem

hostem prouocat.] aquilam laceßit.
Hostilem vt nidum.] nidum aquilæ ſibi aduerſæ.
ſumma per astra.] per aera ſummum, aquilam enim non niſi in editiſſimis locis nidificare, teſtis eſt Plinius.
Ouaq; confodiens.] aquilæ.
prohibet ſpem c.] adimit aquilæ ſpem prolis.

Obnoxia infirmitas.

EMBLEMA CLXIX.



PISCICVLOS *Aurata rapit medio æquore ſardas*
Ni fugiant pauidæ, ſumma mariſq; petant.
Ast ibi ſunt mergis fulicisq; voracibus eſca.
Eheu intuta manens vndique debilitas

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

VT nullo non loco ditiores,& qui ſunt fortuna ampliore,tutum in præſidium ſe recipiunt:ita miſeri, & aliqua parte infirmi homines, præcipites in exitium ruunt, quocunque fugiant: nam vbi è ſuorum lapſi telis ad exteros venerint, ibi miſerè periclitantur & occidunt.

Aurata.] de qua Plin.32.c.5. & 11.
ſardas.] de quib.Plin.32.c.vlt.
mergis.] de iis Plin.11. 37.
fulicis.]Plin. 18. 35.



Vel post mortem formidolosi.

EMBLEMA CLXX.



CÆTERA mutescent, coriumq́ue silebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hanc membrana ouium sic exhorrescit, vt hostem
Exanimis quamuis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziscas, in tympana versus,
Boemos potuit vincere Pontifices.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

NON facilè obliteratur opinio in hominum concepta mentibus. Vt enim quorundam insignis virtus vel post mortem adeò amabilis est, vt eius non possit esse non iucunda mentio: ita nonnulli fuere, quos propter insignem quandam feritatem abominamur vel pridem extinctos, eorumque memoriam auersamur, vt aliquam præ-

præſentem perniciem.

Cætera muteſcent, &c.] ſi tympanum fiat è pelle lupina, & propè adſit aliud è pelle ouilla, conticeſcet.

Hanc.] pellem lupinam.

membrana ouium.] pellis vel corium ouillum.

ſic exhorreſcit.] videtur auerſari, refugere.

vt hoſtem.] aduerſarium.

Exanimis quamuis.] quanquam vtraque pellis ſit ſine ſenſu.

Sic cute detracta Ziſcas.] Ziſca, vel Ziſcas, Boemus, morti proximus, mandauit ſibi pellem adimi, ex eaq; tympanum fieri inde arrepturos fugam hoſtes, cum primum eius ſonitum exaudiret, prædixiſſe memorant; verumq; id ex euentu amicos comprobaſſe. Aeneas Syluius 3. Commentar. de reb. geſtis Alphonſi.



Fuſta

Iuſta vindicta.

EMBLEMA CLXXI.



DVM reſidet Cyclops ſinuoſi in faucibus antri,
Hæc ſecum teneras concinit inter oues:
Paſcite vos herbas, ſocijs ego paſcar Achiuis,
Poſtremumq́ue Vtin viſcera noſtra ferent.
Audiit hæc Ithacus, Cyclopaq́ue lumine caſſum
Reddidit. En pœnas vt ſuus auctor habet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX ſacris litteris didicimus, eum in periculum incidere, qui alteri periculum machinetur. Ex hoc verò Emblemate intelligimus magnum in populo applauſum fieri, cùm ſceleſti illi Reipub. voratores, & tyranni nefandiſſimi pereunt, aut in graue diſcrimen incidunt: quo tempore maximè neminem habent, à quo ſubleuentur,

ſed plures, à quibus rideantur. Hiſtoriam hanc petas licet ab Homero Odyſſ. *ι*.

Dum reſidet.] ſedet quietus.

Cyclops.] vnoculus Polyphemus.

ſinuoſi antri] ſpeluncæ tortuoſæ.

ſocijs ego paſcar Achiuis.] Græcos ego deglutiam.

Poſtremumq; Vtin.] Vlyſſem (qui ſe Vtin nominabat) poſtremo abſumam loco.

Ithacus.] Vlyſſes.

lumine caſſum.] exoculatum.

En pœnas vt ſuus auctor habet.] γνώμη. nec verò

——lex eſt iuſtior vlla,

Quàm necis artifices arte perire ſua.

Incidit in periculum, qui alteri periculum creat.



Iuſta

Iusta vltio.

EMBLEMA CLXXII.



RAPTABAT volucres captum pede coruus in auras
Scorpion, audaci præmia parta gula.
Ast ille infuso sensim per membra veneno,
Raptorem in Stygias compulit vltor aquas.
O risu res digna alijs qui fata parabat,
Ipse perit, propriis succubuitq; dolis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SIMILE apud Aesopum de coruo cibũ quęritante, cõuertitur in id, quod vulgò dici solet, *captores capi raptores etiam à raptoribus abripi & illaqueari*: vt cùm à veneficis falsarij, calumniatores, & id genus alij tolluntur de medio, vel etiam latrones à prædonibus spoliantur.

Raptabat voluc.] coruus dum prædam in aere quæritat, & scorpionem pede arreptum tenet, vt illum deglutiret.

Ast ille.] scorpivs.

infuso sensim.] iniecto aculeo venefico.

Raptorem in Stygias] coruum ad mortem adegit.

O risu res digna.] ridiculum facinus.

aliis qui fata] mortem.

propriis succubuitq́ dolis.] qui dolo alium ceperat, dolo perijt.



Parem

Parem delinquentis & ſuaſoris culpam eſſe.

EMBLEMA CLXXIII.



PRÆCONEM lituo perflantem claſſica victrix
Captiuum in tetro carcere turba tenet.
Queis ille excuſat, quòd nec ſit ſtrenuus armis,
Vllius aut ſæuo læſerit enſe latus.
Huic illi: Quin ipſe magis timidiſſime peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Aeſopo, de tubicine in bello capto, quod ex Iuriſconſultorum placitis intelligitur: nẽpe qui agunt, & qui aſſenſum præbent, pari pœ a puniendos. Quod tamen malim in eos torqueri ſpecialiùs, qui malo conſil

Principes ad bella concitant, eò nocentiores ijs, qui re ipſa cædem faciunt.

Præconem.] tubicinem.

lituo.] tuba. vtrunque ſępe confunditur. Lituus, quòd litis ſit teſtis, genus incuruæ buccinæ, qua, qui cecinerit dicitur Liticen. Feſtus.

perflantem claſſica.] excitantem bellatores ad pugnã. Claſſicines ij dicuntur, qui ſignum pugnæ dant.

Victrix turma] victores, victrices copiæ.

Queis ille excuſat.] apud quos victores excuſat ſeſe præco ille captus.

quòd nec ſit ſtrenuus armis.] πολεμικὸς, ϛρατηγὸς: quòd nec ſit bellator, nec quenquam manu interfecerit.

Quin ipſe magis.] eò grauior tua culpa, qui alios ad bellum concites.

æris clangore.] tubæ ſonitu.



Alius

Alius peccat, alius plectitur.

EMBLEMA CLXXIIII.



ARRIPIT vt lapidem catulus, morsuq; fatigat,
Nec percußori mutua damna facit.
Sic plerique sinunt veros elabier hostes,
Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PLERIQVE sunt, qui cùm non possint ijs inferre noxam, à quibus se læsos putant, vt acceptam iniuriam vlciscantur, alios adoriuntur nihil meritos, nõ secus ac canis in lapidem sæuiens, quod dicitur Prouerbio: hoc verò petitum è Pacuuio, Nonius me monuit.

Arripit.] corripit.
lapidem.] proiectum, emissum.
catulus.] canis.

morsuq́ fatigat.] mordet.

Nec percuss.] neque par pari refert.

veros hostes.] ipsissimos, qui ipsimet iniuriam aut quam num intulerunt.

Et quos nulla.] eos adoriuntur, aut etiam lędunt, qui nihil commiserunt.

Insani gladius.

EMBLEMA CLXXV.



SETIGERI *medius stabat gregis ensifer Aiax,*
Cæde suum credens cædere Tantalidas.
Hostia sic tamquam sus succidanea pœnas
Pro Laertiade, pro caueaq́ dabat.
Nescit obesse suis furor hostibus: errat ab ictu,
Consilijq́ impos in sua damna ruit.

EX-

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AIAX, quòd Achillis arma non ſibi, ſed Vlyſſi ceſſiſſent, ex iniquo Grecorum iudicio, in furorem verſus inſilijt in porcorum gregem, quos omnes interfecit, duobus exceptis, quos de trabe ſuſpenſos, putans eſſe Agamemnonem & Vlyſſem, indignis modis affecit. Sed vbi ad ſe rediiſſet, cognitis iis, quę per inſaniam fecerat, gladio incubuit. Hoc quidem arguit temerarium furentium impetum, qui non aduerſarijs, ſed ſibi nocẽt ipſis: quòd nimię iræ permittant omnia, adeò vt ſępe in ferrum ruant, ſeque ipſos miſerè confodiant.

Setigeri medius.] in medium gregem porcorum inſiliit.

Enſifer.] bellator.

Aiax.] inſania correptus.

Cade ſuum.] porcorum.

Tantalidas.] Grecos.

Hoſtia ſic.] ſus fuit vt hoſtia ſuccidanea, quę pœnas luebat pro Grecis. Quid ſit autem ſuccidanea hoſtia, explicat Gellius 4.6.

Pro Laertiade.] Vlyſſe, filio Laertis.

pro caueaq́;] pro conſeſſu, ſeu concione Grecorum.

Neſcit obeſſe] furioſus & inſanus non poteſt damnum fraudemve creare aduerſariis.

errat ab ictu] icendo peccat: error ictu committitur: non auertit quem feriat.


Conſilij inops.] qui deſtituitur ſano conſilio, ſibi ipſi malum acceſſit, ſeſeque impetit.



Pax

Pax.

EMBLEMA CLXXVI.



TVRRIGERIS humeris, dentis quoque barrus eburni,
Qui superare ferox Martia bella solet,
Supposuit nunc colla iugo, stimulisq́ʒ subactus,
Cæsareos currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoscit concordes vndique gentes,
Proiectisq́ʒ armis munia pacis obit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

EX Greco φιλίππȣ: quod significat pro variorum temporum ratione viros etiam ferocissimos ita domari se pati, vt pacis conditionibus patientem animũ accommodet, qui bellorum temporibus magno terrori fuerint: non aliter quàm elephas, cuius cùm magnus in bellis vsus fuerit, inseruit tandem paci & tranquillitati publicæ,

bliceæ, ſeque ad triumphum trahi non recuſat.

barrus.] elephas, qui barrire dicitur, vt ſupra diximus.

Turrigeris humeris.] turrium machinas & ſpectacula geſtante tergo.

dentis eburni.] eburneis dentibus.

Qui ſuperare.] cuius vis in bellis maxima.

Suppoſuit nunc.] collum iugo aptauit.

ſtimulis ſubactus.] adactus verbere conductoris.

Cęſareos currus.] currum imperialem in triumpho vehit.

Vel feræ cognoſcit.] bellua, quanquam vaſta & terrifica ſe paci accommodat, vt olim belli vſibus ſe dediderat.



Ex bello pax.

EMBLEMA CLXXVII.



EN galea, intrepidus quam miles gesserat, & quæ
Sæpius hostili sparsa cruore fuit:
Parta pace apibus tenuis concessit in vsum
Alueoli, atque fauos, grataq́ mella gerit.
Arma procul iaceant: fas sit tunc sumere bellum,
Quando aliter pacis non potes arte frui.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

REI eiusdem potest esse vsus duplex & acceptio, vt galea vel cassis in prælijs vsum præstitit, eadem pacis tempore continet apum examina. Hinc belli causa finalis elicitur, vt nunquam suscipiatur, nisi nobis alia ratione non liceat in pace viuere.

Intrepidus.] animi maximi.

Parva pace.] redempta.
tenuis alueoli.] cessit in vsum aluearij.
gerit.] continet.
Arma procul.] ab armis nos contineamus.
fas sit tunc sumere bellum] Cicer. 1. Offic suscipienda bella sunt, vt in pace sine iniuria viuatur. Vide Vegetium 3. 1.

Ex pace vbertas.

EMBLEMA CLXXVIII.



GRANDIBVS ex spicis tenues contexe corollas,
Quas circum alterno palmite vitis eat.
His compta Alcyones tranquilli in marmoris vnda
Nidificant, pullos inuolucresq́ fouent.
Lætus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
Aequorei si rex alitis instar erit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CARMINIS huius hauſtam video materiam, ni fallor, ex Baſilij Magni oratione 8. in Hexaemerō, ſed aliò trahit Alciatus. Halcyones, aues marinæ, bruma fœtum edunt, quo tempore mare ſolet eſſe pacatum, hincq; dies Halcyonides nominati. Sic bonus princeps ſeſe gerere debet, qui obſeruet occaſiones, & opportunitatem, quam maximè commodam iudicabit, vt vbertatem ſuis optatiſſimam pariat.

Grandibus ex ſpicis.] confice coronam è ſpicis, quas circumdet pampinus alterno palmite ad ſimilitudinem nidi Halcyonum; id erit ſymbolum vbertatis ex pace.

comptæ.] gratæ, venuſtæ.

tranquilli in marm. vnda.] in medio æquore pacati maris.

inuolucres.] nondum volandi potentes.

Lætus erit Cereri.] prouentus & vbertas erit annonæ.

Aequorei ſi rex.] ſi rex quiuis ſe perinde habeat vt Alcyon, qui non excubat niſi in ſumma maris tranquillitate.



Doctos

Doctos doctis obloqui nefas esse.

EMBLEMA CLXXIX.



QVID rapis heu Progne vocalem sæua cicadam,
Pignoribusq; tuis fercula dira paras?
Stridula stridentem, vernam verna, hospita lædis
Hospitam, & aligeram penniger ales auem?
Ergo abice hãc prædam: nam musica pectora, summum est,
Alterum ab alterius dente perire, nefas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

MVTVATVS id è Græco. Innuit indecorum esse maximè, eos sese mutuis conuicijs afficere, inter quos summa debet esse animorum coniunctio, & à quibus omnis petenda videatur humanitas. Viros litteratos intelligo, qui propter eruditionem, qua cæteris præstãt,

non

non debēt esse molesti vel iniqui in eos, qui eiusdem sunt ordinis.

Progne.] hirundo.

vocalem.] canoram.

Pignoribus.] pullis.

Stridula stridentem.] garrula garrulam, vt in Græco τὸν λάλον ἁ λαλόεσσα.

vernam verna.] ἠρινὸν ἡ ἀρινά. tu quę veris tempore canis, volucrem etiam vernam corporis.

hospita hospitam.] τὸν ξένον ἁ ξεῖνα, domestica domesticam.

aligeram penniger.] τὸν εὔπτερον ἁ πτερόεσσα, pennata pennatam.

abice.] abiice.

hanc prædam.] correptam cicadam.

nam musica pectora] summum nefas est, eos hostili odio diffidere, inter quos summa debet esse cōcordia. Hic musica pectora pro litteratis hominibus, iisq; , qui sunt liberalibus artibus politi, vsurpari liquet. Omninò veteres quicquid eruditum & suaue esset, Musicum appellabant, ipsisque Musis assignabant. Eo sensu hac voce vtitur non rarò Ausonius, & Symmachus Epist. 4. Nos (inquit ad Promotum) musicę facundię inopiam confitemur.



Elo-

Eloquentia fortitudine præstantior.

EMBLEMA CLXXX.



ARCVM læua tenet, rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? non conuenit illud
Quòd vetus, & senio tempora cana gerit.
Quid quòd lingua illi leuibus traiecta catenis
Queis fissa faciles allicit aure viros?
An ne quòd Alciden lingua, non robore Galli
Præstantem populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SVMPTA hęc designatio ex Luciani quadam præfatione: qua significatur Herculem illum à scripto-

 ribus

ribus decantatissimum, Gallum fuisse, virum prudentissimum, & eloquentissimum, qui cùm virtutibus iis, quæ ciuilem hominem decent, esset excultus, populum Galli cum à prima illa feritate & cultu barbaro ad vitam placidiorem sapienti oratione & nomothesia reuocauit.

Arcum laua tenet.] effigiei huius Herculis sinistra manus tenet arcum, ponderosam clauam altera.

Contegit & Nem.] totum autem corpus indutum est Leonis Nemęi pelle.

non conuenit illud.] nõ bellè istud videtur quadrare.

Quòd vetus.] quòd sit nimium annosus Hercules.

Quid quòd lingua.] cur illi lingua est catenis tenuibus perforata, quibus auditores suos retentat auribus captos?

Alciden.] Herculem, ab ἀλκῆς. i. robore.

lingua, non robore.] viribus eloquentię, non corporis robore.

iura dedisse populis.] leges posuisse, barbaras nationes ad ciuiliorem cultum reuocasse.

Cedunt arma togæ.] In eo sunt armatis togati pręstantiores, quòd persuadendo vincant: adeò vt eloquens facilè flectat vel maximè refractarios. Est verò illud,

Cedant arma togæ. —— hemistichium, Ciceronianum à maledicis repręhensum, de quo Oratione in Pisonem & 2. in Antonium.



Facun-

Facundia difficilis.

EMBLEMA CLXXXI.



ANTIDOTVM Æaæ medicata in pocula Circes
Mercurium hoc Ithaco fama dedisse fuit.
Moly vocant: id vix radice euellitur atra,
Purpureus sed flos, lactis & instar habet.
Eloquij candor facundiaq; allicit omnes:
Sed multi res est tanta laboris opus.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOMERVS Odyss.κ. Moly herbam à Mercurio Vlyssi datam ait, tãquam amuletum aduersus omnia veneficia: herbam nigræ radicis, floris lactei, difficillimam inuentu. Ea notat eloquentiam primò quidem abstrusam & difficilem, deinde multo labore & diligentia partam, iucundissimos afferre fructus: id est, sui amore

omnes allicere; ſed ei per paucos operam dare propter laborum certè maximorum difficultatem.

Antidotum Aaa.] fama eſt Moly herbam fuiſſe, Vlyſſi datam à Mercurio, vt eſſet antidotum in omnia Circes veneficia.

vix radice euell.] ea herba eſt nigræ radicis, difficiliſque inuentu.

Purpureus ſed flos.] floris purpurei, vel lactei.

Eloquij candor] Pulcherrima res eloquentia, ſed difficicilis tamen.



Antiquissima quæque commentitia.

EMBLEMA CLXXXII.



PALLENAEE senex, cui forma est histrica, Proteu,
Qui modò membra viri fers, modò membra feri:
Dic age, quæ species ratio te vertit in omnes,
Nulla sit vt vario certa figura tibi?
Signa vetustatis, primæui & præfero secli,
De quo quisque suo somniat arbitrio.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CONVERTIT Protei πολυμόρφου fabulã in scriptores quosdam rhapsodos, & rerum antiquissimarum narrationem è varijs & sæpe pugnantibus inter se fabulis petitam concinnantes: qui cùm somnient de rebus à se remotissimis, portentosam historiæ formam nobis

obtrudunt, vt re uera Proteum quendam effingere velle videantur.

Pallenæ senex.] è Pallene, Thraciæ vrbe.

cui forma histrica.] histrionica, sese subinde mutans in varios habitus.

Signa vetustatis.] ego præ me fero symbolum veteris historiæ, quæ sit extra omnem hominum memoriã, de qua quisque suum adfert somnium.



Insignia Poetarum.

EMBLEMA CLXXXIII.



GENTILES clypeos sunt qui in Iouis alite gestant,
Sunt quibus aut serpens, aut leo, signa ferunt:
Dira sed hæc vatum fugiant animalia ceras,
Doctaq; sustineat stemmata pulcher Olor.
Hic Phœbo sacer, & nostræ regionis alumnus:
Rex olim, veteres seruat adhuc titulos.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CYCNVS, Poetarum stemma, Phœbo sacer, candidus, pro Rege habitus, repræsentat cōditionem Poetarum, qui suos labores omnes ad litterarum Præsidem Phębum, id est, disciplinarum liberalium principatum referunt: quorum pura & candida debet esse Musa, aliena ab omni fuco & spurcitie: qui non minùs ordinatis bene-

que cultis verſibus in animos hominum imperium obtineant, atque reges ipſi armatis copijs.

Gentiles clypeos.] ſunt, qui in clypeis gentilitijs aquilam geſtant: vt Pertinax, Antoninus Pius, Iuſtinianæa familia, &c.

Sunt quibus aut ſerpens.] de quo in primo Emblem.

aut Leo.] vt in Antonini nummo, vt Traianus, duces multi Germaniæ.

Dira ſed hæc.] hæc ferarum ſymbola aliena ſunt à conditione Poetarum.

ceras.] imagines.

pulcher Olor] cycnus niueus.

Hic Phœbo ſacer.] Plato in Phœdone.


noſtra regionis alumnus.] Cycnus, rex Ligurum, Muſicæ laude clarus, poſt mortem muratus in auem ſui nominis. Pauſanias Atticis. Ouid. Metamorph. 2. & 12.



Muſicam

Musicam Dijs curę esse.

EMBLEMA CLXXXIV.



LOCRENSIS posuit tibi Delphice Phœbe cicadam
  Eunomus hanc, palmæ signa decora suæ.
Certabat plectro Spartyn commißus in hostem,
  Et percussa sonum pollice fila dabant.
Trita fides rauco cœpit cùm stridere bombo,
  Legitimum harmonias & vitiare melos.
Tum cithara argutans suauis sese intulit ales,
  Quæ fractam impleret voce cicada fidem:
Quæq; allecta, soni ad legem descendit ab altis
  Saltibus, vt nobis garrula ferret opem.
Ergo tua vt firmus stet honos, ò sancte, cicada,
  Pro cithara hic fidicen aneus ipsa sedet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

RETVLIT hanc hiſtoriam 6. Geographiæ Strabo: carmen verò tralatum è Græco lib. 4. Anthologiæ. Eunomus citharœdus in ludis Pythiorum venit in certamen cum Ariſtone Rhegino. Ariſto fuſis precibus Delphorum ciues rogauit, vt ſibi adeſſent. Eunomus verò dixit, Rheginenſibus de Muſica non eſſe prorſus certandum, cùm apud eos etiam cicadæ muteſcerent. Vtroque igitur certante, cùm vna chorda Eunomo fracta deſideraretur, cicada ſuperuolans adfuit, quæ ſonum ſuppleret. Declaratur hac hiſtoria, Dijs eſſe curæ Muſicam: eſſe numen, quod ſupplicibus adeſſet in rebus deſperatis, eoſque, qui inſoleſcant, à Dijs ſæpenumero deſtitui.

Locrenſis poſuit.] Eunomus Phœbo hanc cicadam conſecrauit, victoriæ ſuæ teſtem.

Certabat plectro.] commiſſus in Ariſtonem Rheginũ certabat, cum fracta fides harmoniam ſoluit.

Tum cithara.] ſtatim aduolauit cicada, quæ fractę fidis ſonum vltrò ſuppleret.

allecta.] illicio Muſicæ.

deſcendit ab altis ſaltibus.] venit à ſyluoſis locis, opem latura mihi Eunomo.

Ergo tua.] itaque, ne tanti miraculi memoria vetuſtate deleretur, citharam Apollini cum cicada ænea inſidente conſecrauit Eunomus.



Littera

Littera occidit spiritus viuificat.

EMBLEMA CLXXXV.



VIPEREOS Cadmus dentes vt credidit arnis,
Seuit & Aonio semina dira solo:
Terrigenum clypeata cohors exorta virorum est.
Hostili inter se qui cecidere manu.
Euasere, quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraq; iuncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notasq; magistris
Tradidit, ijs suauem iunxit & harmoniam.
Quorum discipulos contraria plurima vexant,
Non nisi Palladia qui dirimuntur ope.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

CADMI hæc fabula commodè traducitur in litterarum & litteratorum conditionem. Cadmus enim

dicitur è Phęnicia in Græciam litteras primus attulisse: Draconem fontis Castalij custodem interfecisse, ex cuius dentibus humo mandatis, & tanquam iactis feminibus, feruntur armati milites exilijsse, sese mutuò cōfecisse, & in mutuam quasi perniciem conspirasse: tamen Mineruę consilio in gratiam redijsse. Quod omninò, vel de sermone, vel de contentionibus studiosorum atque philologorum est intelligendum. Sermonem enim dictum esse à serendis verbis Grammatici veteres notant: qui sermo primùm sexdecim litteris constabat (tot verò sunt Draconum dentes) quę litterę seu notę litterarum mutuò se conficiunt, neque in gratiam redire possunt, nisi vocales consonantibus, animę vice sint adiectę. Hastas armatorum possumus traducere ad accētuum, seu spirituum notas, quæ non nisi Palladi, id est, rationis & intelligentię beneficio cohiberi, & quasi in gratiam redire possūt. Quòd si hoc referamus ad Doctorum hominum contentiones, facilè obseruabimus ex Draconis, id est, Philosophię satis dentibus, nempè libris editis, magnas oriri rixas & disputationum labyrinthos: quę certè lites terminari vix posse videntur, nisi diuini numinis afflatus aliquis accesserit.

Vipereos dentes.] ex quo tempore Cadmus dentes inseuit, vel humo tanquam semen mandauit.

semina dira.] perniciosa.

Aonio solo.] in Gręcia, quę dicta Aonia ab Aone filio Neptuni.

Terrigenum.] inde bellatorum armis instructorum cohors prodijt, qui se mutuis vulneribus confecerunt.

Euasere quibus.] quo ex conflictu qui salui remanserunt, suasu Palladis fędus inter se percusserunt. Ouid. 3. Metamorph.

Primus Agenorides.] Cadmus Agenoris filius, litteras è Phęnicia in Gręciam tulit. Plin. 7. 56. Solin. 13.

elementa, notasq;] litteras.

in suauem iunxit & harmoniam.] fecit vt consonantes

tes

tes cum vocalibus ingenioſo & ſuaui concentu inter ſe iungerentur, quaſique ſociarentur, ad enuntiandas quaſque mentis notiones. Vel, vt diſciplinæ liberales haberent inter ſe commune quoddam vinculũ, vt quaſi mutuum auxilium prȩſtarent. Eſt enim omnium artium prȩclara quȩdam harmonia, quanquam ſingulȩ prȩceptis diſtinguantur.

Quorum.] magiſtrorum, qui à Cadmo edocti primũ. intelligere videtur Principes Philoſophorum, ex quorũ diſputationibus hauſta eſt doctrina omnis liberalis.

diſcipulos contr.] altercantur inter ſe, diſſentiunt opinionum conflictu, ſeq; contrarijs ſententijs oppugnant.

Non niſi Palladia.] quarum contentionum nullus finis, niſi Palladis interuentu, id eſt, ſapientiȩ ope, quȩ diſſidia iſthȩc omnia facile componit.



Dicta septem Sapientum.

EMBLEMA CLXXXVI.



HAEC habeas, septem sapientum effingere dicta,
Atque ea picturis qui celebrare velis.
Optimus in rebus modus est, Cleobulus vt inquit:
Hoc trutina examen, siue libella docet.
Noscere se Chilon Spartanus quemque iubebat:
Hoc speculum in manibus, vi traq; sumpta dabunt.
Quòd Periander ait, frena adde, Corinthius, iræ:
Pulegium admotum naribus efficiet.
Pittacus, at ne quid, dixit, nimis. hæc eadem aiunt,
Contracto qui Gith ore liquefaciunt.
Respexisse Solon finem iubet: vltimus agris
Terminus haud magno cesserit ipse Ioui.
Heu quàm vera Bias, est copia magna malorum:
Musimoni insideat effice Sardus eques,

Ne praes esto, Thales dixit: sic illita visco
In laqueos sociam Parra, Meropsq; trahit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

TANTA olim fuit septem Gręcię sapientum auctoritas, vt quicquid dicerent, haberetur pro oraculo. Quòd enim sapientiam omnem, quam profitebãtur, actionibus honestis, laudeq; dignis exercerent, omnia suę sapientię capita paucis verbis sunt complexi, non longo disputationum circuitu, quam malebant rectè agendo perficere Eorum ergo quæ vulgò circumferuntur symbola & apophthegmata certatim ab omnibus doctis excepta, sic sunt transmissa posteris, vt nulla lex sanctior, nulla vitæ regula probatior videatur. Ex ijs apophthegmatis ea delegit Alciatus, quæ symbolis exprimi commodiùs possent. Quod enim *Cleobulus* diceret, *μέτρον ἄριϛον ἐν πᾶσιν: in omnibus optima mensura.* id trutina siue lance ostendit. *Chilonis Lacedæmonij* hoc fuit, *γνῶθι σαυτόν*: quod per speculum ostẽditur. *Periander Corinthius* in ore habebat, *τῆς ὀργῆς ἀπέχεσθαι, abstinendum ab ira*: quod pulegio demonstrat hic noster: nam herba hæc bilem purgare dicitur. *Pittacus* aiebat *μηδὲν ἄγαν*: quod exprimitur per Gith, herbam grauissimi odoris, quę modicè in cibis adhibita, saporis gratiam præbet, nimia verò nocet. *Solonis* dictum: *τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου, finem breuis aui spectandum*: quod Termini effigie designatur. *Biantis* illud celebre, *πλείονες οἱ κακοὶ, plures mali*: quo arguebat rerum hac in vita malarum immensam copiam, quod notatur per Sardum, hominem improbum (vt sunt Sardiniæ regionis incolæ, nota insignes improbitatis) qui Musimoni asino breui & nullius pretij insideat. *Thales* denique *Milesius* hoc habuit, *ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη: spondi noxa præsto est:* quod exprimitur symbolis Parræ & Meropis *auium*, quę captę retibus aut visco, ad easdem pedicas solent suo garritu consocias aues pertrahere:

trahere: ita se habent debitores erga suos vades, quos pel-
liciunt, vt quoquo modo ipsi semet extricent.

Hoc trutina examen.] Perſ. Satyr. 1.

ne examen improbum in illa castiges trutina.

libella.] libra.

Chilon Spartan.] Lacedæmonius.

Pulegium.] de quo in ſuperioribus.

Hæc eadem aiunt.] hanc ſententiam, *Ne quid nimis*, vi-
dentur innuere, qui quàm minimùm ore liquant her-
bam Gith, quæ ita ſumpta, iuuat, ſed ſi largiùs, virulenta
eſt. Plin. 20. 17. & 19. 8.

Terminus.] mortis ſymbolum, de quo etiam ſupra.

illita viſco.] impedita viſco auis alia aliam trahit in pe-
dicas. De Parra Plin. 11. 37. De Merope, in 10.



Submo-

Submouendam ignorantiam.

EMBLEMA CLXXXVII.



QVOD monstrum id? Sphinx est. Cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia: tanti
Scilicet est triplex caussa & origo mali.
Sunt quos ingenium leue, sunt quos blanda voluptas,
Sunt & quos faciunt corda superba rudes.
At quibus est notum, quid Delphica littera possit,
Præcipitis monstri guttura dira secant.
Namque vir ipse bipesque tripesque & quadrupes idem est,
Primaque prudentis laurea, nosse virum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SPHINX, ignorantiæ typus est, σφίγγω enim idem est quod constringo & vincio: illa enim mentis notio

nes & igniculos ipſos obſcurat prorſus, & extinguit ignorantiæ labes: cuius tres hic *συμβολικῶς* conſtituuntur efficientes ſeu primariæ cauſæ, libido, animi leuitas, arrogantia. Prima quidem puellari forma depingitur, quę cùm animum occupat, nunquam poteſt obcæcata mens cognitionis & ſcientiæ bono perfrui. Altera eſt inconſtantia ſeu leuitas cum aue comparata, quę vis per omnia diſcedit à ſtabili firmoq; ſcientiæ fundamento. Tertia verò arrogantia, ſuperbiaque leoninis cruribus adumbrata, *φιλαυτίαν* in ſe habet pernicioſiſſimam, & rerum meliorum contemptum, quàm neceſſariò ſequitur craſſa & exitioſa imperitia, ſuiq; ignorantia. At qui ſe ipſum norit, detracta omni libidine, fœdaq; voluptate, auulſis inconſtantiæ plumis fugacibus, & omni arrogantia, intelliget quid homo ſit, id eſt, problema Sphingis explicabit, ſuam ipſius naturam intuebitur, primò quidem quadrupedum penè ſimilem conditioni, deinde hominis firmitate conſtantem, & poſtremò imbecillã propter concreti partes infirmas: ita vt monſtrum arrogantiæ turpiſſimum ſeipſum conficiat, & hominem ſui compotem relinquat: qua victoria nulla alia excellentior, nulla vtilior, aut illuſtrior.

candida virginis ora.] faciem puellarem.

volucrum pennas.] plumis auium corpus habet omne obſitum.

crura leonis.] pedes leoninos.

Hanc faciem aſſ.] Sphinx eſt typus & ſymbolum ignorantiæ. ἡ γὰρ ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις σφίγξ ἐςί, ait Cebes Thebanus, ideſt, Sphinx eſt hominibus inſipientia.

tanti ſcilicet.] ignorantiæ triplex cauſa efficiens.

Sunt quos ingenium leue.] ſunt, qui laborent animi leuitate & inconſtantia: quę prima cauſa.

ſunt quos blanda voluptas.] ſunt, qui voluptatis illecebris deliniti: altera cauſa, de qua ante, -*meretricius arde*

Egregijs iuuenes ſeuocat à ſtudijs.

Sunt

Sunt & quos.] ſunt tumidi, inflati, ſuperbi, φίλαυτοι, qui potuiſſent ad ſcientiam peruenire, niſi putaſſent ſe iam perueniſſe, ait Seneca, hęc tertia cauſa.

At quibus eſt notum.] qui edocti ſunt, quantam vim habeat monitum Apollinis Delphici, περὶ τῦ γνῶναι σαυτὸν: de qua Plato in Philœbo, & Xenophon 4. Cõmentarior. Cicero multa De legib. 1, & Tuſcul. 1.

Præcipitis monſtri.] ſummè pernicioſi, quodque facilè monſtrum homines in exitium agat,

guttura dira ſecant.] tollunt de medio. qui enim ſeipſum nouit, ignorantiam ex ſeſe tollit, in eius locum ſapientiam omnium pulcherrimam & vtiliſſimam admittit.

Prima prudentis laurea.] prima hominis virtus, & quaſi primus de ignorantia triumphus eſt, *ſeipſum noſſe.*



Mentem, non formam, plus pollere.

EMBLEMA CLXXXVIII.



INGRESSA vulpes in Choragi pergulam,
Fabrè expolitum inuenit humanum caput,
Sic eleganter fabricatum, vt spiritus
Solùm deeßet, cæteris viuisceret.
Id illa cùm sumpsisset in manus, ait,
O quale caput est: sed cerebrum non habet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PERMVLTOS non rarò videre est excellenti forma & dignitate corporis homines, qui ingenio planè stolido, & penè nullo sunt, vt reuera simulacra quędam esse citiùs quàm homines videantur. Quò spectat Cleantis illud: ἀπαιδεύτυς μόνη τῇ μορφῇ θηρίων διαφέρειν.

Ingreßa

Ingressa vulpes.].i. astutus quidam & festiuus homo id enim ἀλληγορικῶς accipe.

Choragi.] statuarij.

pergulam.] officinam.

fabrè.] affabrē, ingeniosè.

vt spir. solùm.] vt ei sol us sensus, & vox deesse videretu r: ad viuum erat expressum.

cæteris viuisceret.] quasi vihum appareret.

Id.] caput humanum.

Illa] Vulpes. id est, cautus quidam & veterator, speciso artificio hominis, ita pronuntiauit, &c.



Diues indoctus.

EMBLEMA CLXXXIX.



TRANAT aquas residens pretioso in vellere Phryxus,
Et flauam impauidus per mare scandit ouem.
Ecquid id est? vir sensu hebeti, sed diuite gaza,
Coniugis, aut serui quem regit arbitrium.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HIc aries aurei velleris Phryxum per maris tempestuosi discrimina vehens, typus est locupletis cuiusdam hominis, sed planè stolidi, & communi sensu vacui, qui cùm seipsum regere non possit, ducitur ad mulieris aut serui arbitrium. Ea verò misera censenda est seruitus, non quæ à fortuna, sed quæ ab animi nascitur impe-

imperitia, quæ in ſumma etiam copia non poteſt non eſſe alijs mancipata. Huc pertinet dictum Diogenis, cùm diceret, indoctum diuitem arietem eſſe in aureo vellere.

reſidens pretioſo.] ſedens, inſidens in vellere aureo.

Et flauam.] non horret marinos turbines, quanquam horrificos.

ſenſu hebeti.] imperitus, ſtolidus.

diuite gaza.] opulentus, locuples.

Coniugis, aut ſerui.] qui ſit γυναικοκρατέμενος, vel δουλοκρατέμενος.



In fidem vxoriam:

EMBLEMA CXC.



ECCE puella, viro quæ dextra iungitur: ecce
Vt ſedet, vt catulus luſitat ante pedes.
Hac fidei eſt ſpecies: Veneris quam ſi educat ardor,
Malorum in læna non malè ramus erit.
Poma etenim Veneris ſunt. ſic Scheneida vicit
Hippomenes, petijt ſic Galatea virum.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AD fidem vxoriam quatuor hic ſpectanda proponuntur, dextrarum coniunctio, ſeſſio, canis ſymbolum, pomi inſitio ſeu donarium. Dextra pro nota fidei, vti iam ſupra monuimus: puella viro aſſidet, quod ad conſtantiam in amore refertur; ſedes enim notam habet ſtabilitatis. Canis animal hero fidum, fidei aliam rationem

nem habet. Malus arbor Veneri ſacra, vt ex Poetarum ſcriptis patet.

puella.] vxor marito dextram iungens.

Vt ſedet.] ſtabilitatis nota.

Vt catulus.] fidei ſymbolum.

fidei ſpecies.] fidelitatis imago expreſſa.

Veneris quam ſi.] quam fidem ſi mutua coniugis vtriuſque copula confirmet.

Malorum in laua.] à ſiniſtra parte non inconcinnè ſtatuetur malus.

Poma etenim.] poma Veneri ſacra.

ſic Scheneida.] Atalantiam in curſu Hippomenes vicit, proiectis pomis aureis. Ouid. 10. Metamorph.

petijt Galatea.] de qua 3. Ecloga Virg. aut de ea Ouid. 13. Metamorph. vide Prouerb. Malis ferire.



Reue-

Reuerentiam in matrimonio requiri.

EMBLEMA CXCI.



CVM furit in Venerem, pelagi se in littore sistit
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit:
Murænamq; ciens ingentia sibila tollit,
At simul amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia: coniux
Alternum debet coniugi & obsequium.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AMOR coniugum ita mutuus ac purus esse debet, vt quanquam quidpiam sit in altero quasi virulẽtum, & alter nonnihil in animo rixarum alat, propter tamen sacram coniugij copulam ab altero debet euomi, & penitus eijci. Quod ipsum pluribus explicatur à Basilio magno

magno, Homilia 7.in Hexaemeron, vnde petitur hoc Emblema.

Cum furit in Venerem.] cum rapitur ardore coitus.

Muranam ciens.] ingenti ſibilo murænam ad ſe allicit.

viri.] viperæ.

Maxima debetur.] imitatio ex Iuuenale.

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras ——

coniux alternum.] D.Paullus: Vir vxori debitum red dat,& vxor viro.Mulier ſui corporis poteſtatem non ha bet, ſed maritus: idemque ſui corporis poteſtatem non habet,ſed mulier.



In fœcunditatem sibi ipsi damnosam.

EMBLEMA CXCII.



LVDIBRIVM pueris lapides iacientibus, hoc me
In triuio posuit rustica cura nucem:
Quæ laceris ramis, perstrictoq; ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterili posset contingere turpius? eheu
Infelix, fructus in mea damna fero.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HOc transtulit è Græco Antipatri, seu Stratonis: simileque est Ouidianum de Nuce argumẽtum. Questus est quorundã parentum miserorum de susceptis liberis, à quibus nonnunquam conijciuntur in extremas ærumnas, & vitæ discrimina, vnde illos valdè pœnitet, se liberos eiusmodi tam nefarios & improbos suscepisse.

Ludib. pueris.] Laboriosus quidam rusticus me inseuit in triuio, ludibrium pueris, alijsque lapides hinc inde proijcientibus.

laceris ramis.] excussis, deiectisque frondibus.

perstricto libro] cortice etiam percusso sæpius & impetito, rupto, scisso.

fundis.] iaculis, ballistis.

per latus omne petor.] lapidatione vndique conficior.

Amor filiorum.

EMBLEMA CXCIII.



ANTE diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet:
Mollius & pulli vt iaceant, sibi vellicat alas,
Queis nuda hiberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi pudet, vel te Progne improba? mortem
Cùm volucris propriæ prolis amore subit?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PROPOSITO auicularum exemplo, in quibus natura duce summus amor, curaque deprehenditur erga suos fętus, arguitur matrum quarundam immanium barbara & plusquàm ferina crudelitas, quæ suis vitam adimant, edoctæ ab aue palumbe, quo affectu in eos esse debeant. Petitum id è Græco Antipatri.

Ante diem vernam.] ante vernum tempus, ipso hyemis sæuiente frigore. Plin. 10. 35.

cana palumbes.] cuius plumæ canitiem referunt.

præcoqua & oua fouet.] quæ satius foret in tempus vernum poni, lapso rigore hyemis.

sibi vellicat alas.] auellit sibi plumas.

Queis nuda.] quibus destituta.

deficit ipsa.] emoritur.

Ecquid Colchi.] num te pudet Medea, quę liberos sustulisti: vel te etiam Progne, quæ filium Itym interfecisti? De ijs alio loco.



Pietas filiorum in parentes.

EMBLEMA CXCIV.



PER medios hostes patriæ cum ferret ab igne
Aeneas humeris dulce parentis onus:
Parcite, dicebat: vobis sene adoreà rapto
Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.


EXPLICAT. CLAVD. MIN.

E GRAECO item anonymi. Scriptores pleriq; graues, vt ostenderent longè pulcherrimum pietatis in parentes simulacrum, Aeneam insigni pietate virum, & qui è medio patriæ incendio, senio affectum patrem liberarit, atque humeris sustulerit, repræsentari voluerunt, Et verò ea vna pietas est, quæ hominem maximè commendat, vel quæ iratissimos hostes ad mansuetudinem lenitatemque cogat, manusq; continere iubeat.

Per medios hostes.] Græcos.
ab igne patriæ.] incendio Ilij.
dulce parentis onus.] Anchisem, patrem suauissimum Ouid. 2. Fastor.
Deq; viri collo dulce pependit onus:
sene rapto] tracto è filij manibus, interfecto.
adorea.] gloria bellica. Plin. 3. 18. & Fest. Pomp.
erepto patre.] extracto è flammis, liberato, seruato.

Mulieris famam, non formam, vulgatam esse oportere.

EMBLEMA CXCV.



ALMA Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diua premis?
Me sic effinxit Phidias; sexumq; referri
Femineum nostra iussit ab effigie:

Quodq;

Quodq́; manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PHIDIAS Veneris statuam effinxit, quę pede testudinem premeret, vt significaret duabus maximè rebus commendari honestam matremfamilias; silentio, & familię procuratione. Vt enim nullum vitium citiùs fœminam dedecorat quàm loquacitas: sic hę probro solent affici, quę hac illacque cursitant.

hæc facies.] effigies.

molli pede.] delicatulo. Allusio tacita ad mulieris nomen, quod à mollicie ductum volunt.

Phidias.] de quo Plin. 8. 34. & 36. 5. hic verò, vt obiter, nomen Phidias fortè dissyllabum, propter priorem longam.

sexumq́; referri.] nomen Veneris variè sumi palam est, pro amoris Dea, pro vxore, amica, &c.

manere domi.] agere, quę sunt matris familias. Columella initio 12. de re rustica.

tacitas puellas.] taciturnas fœminas.



In Pudoris ſtatuam.

EMBLEMA CXCVI.



PENELOPE deſponſa ſequi cupiebat Vlyſſem,
Ni ſecus Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Sparten: manet anxia virgo.
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos:
Iſta verecundi ſigna pudoris erant.
Queis ſibi prælatum Icarius cognouit Vlyſſem,
Hocq́ Pudori aram ſchemate conſtituit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AGNOVERVNT vel ipſi paganę ſuperſtitionis aſ ſectatores, quàm ſancta & neceſſaria eſſet matrimonii rectè inſtituti copula, quã vxor admoneretur maritũ etiam parentibus ipſis eſſe pręferendum, & cõtrà. Quod ipſum

ipſum ſperſpicuè ſancitum conſtat Euangelicis litteris, quo loco dicitur, *Virum relinquere debere parentum conuictum, vt vxori adhæreat*. Sumitur hęc Emblematis hiſtoria ex Laconicis Pauſanię lib. 3.

Ni ſecum Icarius.] ſed eam, vt ſecum maneret, pater retentabat.

Ille.] Vlyſſes.

Ithacam.] ſuam patriam, ſuum regnum.

hic offert Sparten.] pater Icarius offerebat Lacedemonem, è qua oriundus fuit.

manet anxia.] ancipiti cura, cogitandi ſolicita, quem maximè ſequeretur.

virgo.] Penelope, fœmina viripotens, vt apud iuris interpretes, l. Mulieris, de verb. ſignif.

ſedens.] Penelope.

obnubit ocellos.] quod etiam verecundię ſignum: vel alludit ad nuptiarum veterem ritum. Mulier enim nupta, id eſt, obuoluta ducebatur in mariti domum. [Nubere eſt velo tegere.

Queis.] quibus ſignis.

ſibi prælatum.] nouit Icarius Vlyſſem maritum ſibi prę̨latum eſſe.

Hocq; Pudori aram.] hoc cultu & imagine conſecrauit aram Pudicitię.



Nupta contagioſo.

EMBLEMA CXCVII.



DII meliora pijs, Mezenti: cur age ſic me
Compellas? emptus quòd tibi dote gener,
Gallica quem ſcabies, dira & mentagra perurit:
Hoc eſt quidnam aliud, dic mihi ſæue pater,
Corpora corporibus quàm iungere mortua viuis,
Efferaq́ Etruſci facta nouare ducis?

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PLERIQVE patres importuni & auari, honeſtas & liberali forma preditas filias elocare non dubitant hominibus podagricis, ſcabie Neapolitana confectis, aliove luis genere, quę ſemimortua cadauera ſuo contactu non minùs noceant, quàm quę viuis olim mortua copulaban-

labantur à nequissimo tyranno Mezentio, de quo Virgil. 8. Aeneid.

Dij meliora pijs.] Dij melius. Optatio frequens apud auctores, sed Poetas maximè.

Mezenti.] dure pater, Mezentio similis.

cur age sic me compellas?] cur ita me esse miserã cogis?

emptus quòd tibi] qui generum tibi accivisti, vt me illi elocares. Alludit ad matrimonij speciem, quę coemptio dicebatur, de qua Cic. in Topic. & Virgil. Eclogis.

Teq; sibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Gallica quem scab.] qui cõfectus est lue Hispanica, seu morbo Neapolitano.

mentagra.] morbus à mento dictus, qui per faciem, collum, pectus, & manus, fędo & insolito quodam surfure dilatatur. Vide Plin. l. 26.

Corpora corporib.] Imitatio Virgil. ex 8. Aeneid. vbi de Mezentio:


Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atque oribus ora.

Efferaq; Etrusci facta.] reuocate Mezẽtij Etruscorum ducis truculentissimi facinora.



Cupreſſus.

EMBLEMA CXCVIII.



INDICAT *effigies metæ nomenq́; Cupreſſi*
Tractandos parili conditione ſuos.

Aliud.

F*VNESTA eſt arbor, procerum monumenta Cupreſſus,*
Quale apium plebis, comere fronde ſolet.

Aliud.

P*VLCHRA coma eſt, pulchro digeſtaq́; ordine frondes;*
Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

VT ex naturis animantium, rerumq́ue aliarum ſpectata proprietate, ſumitur aliquod ſymbolum ad aliquid

quid designãdum, ita ex plantis & arboribus: vt Cupressus hic ad tria accommodatur. 1. ad æqualitatem inter suos significandam, quòd ea arbor & in folijs & fructibus videatur aliquam ęqualitatem obseruare. 2. ad mortis notam: eius enim rami adhibebantur olim in magnatum Principumq́ue funeribus. 3. in eos torquetur, qui quanquam pulchrum nescio quid prę se ferant, nullos tamen ex se fructus educunt.

Indicat, &c.] Nam Cupressus διὰ τὸ κύειν καὶ φέρειν παρίσους κλάδους τε καὶ καρπούς, à fructuum ęqualitate, pariterque ramorum, quos producit.

funesta.] funeribus apta.

comere] ornare.



Quercus.

EMBLEMA CXCIX.



G*RATA Ioui est quercus, qui nos seruatq́; fouetq́;:*
Seruanti ciuem querna corona datur.

Aliud.

G*LANDE aluit veteres, sola nunc proficit vmbra:*
Sic quoque sic arbos officiosa Iouis.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

QVERCVS, Ioui sacra, pro salutis vsurpata symbolo. Plures rationes pete à Plutarcho. Querna, seu ciuica corona ei dabatur olim ciui, qui ciuem seruasset, tanquam vitę testis, & salutis acceptę monimentum. Sed & torqueri quercus potest vel ad hominem, vel ad rem, quę olim magno in honore fuerit, sed nunc nihil aliud sit, quã magni nominis vmbra, vt de Pompeio cęso Lucanus cecinit.

Grata Ioui.] Claudian. 2. Raptus Proſerpin.

Quercus amica Iouis. ——

Seruanti ciuem.] Lucan. primo.

Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Glande aluit.] Vetuſti illi homines querna glande victitabant: nos ſola quercus vmbra vtimur. ſic rerum omnium ſua ſunt tempora.

Salix.

EMBLEMA CC.



QVOD *frugiſperdam ſalicem vocitarit Homerus,*
Clitoryjs homines moribus adſimilat.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

SALIX ὠλεσίκαρπος Homero dicitur Odyſſ. κ. quia ſalicis fructus cum vino propinatus ſterilitatem inſerat

rat, genitale ſemen extinguat, & libidinis impetum marco re afficiat, ait Plin. Sed propter κλειτοριάζειν, obſcœnum verbum, malim in eos conuertere, qui licentiùs Venere abutuntur, quos ideò meritò frugiſperdas & ſeminiperdas appellaris.

Clitoriis homines moribus.] abſtemijs: vel potius, nimiùm addictis rei Venereæ.

Abies.

EMBLEMA CCI.



APTA fretis Abies in montibus editur altis:
Eſt & in aduerſis maxima commoditas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ABIETIS ſchema poteſt accommodari ijs, qui quanquam in loco ſatis commodo verſentur, tamē ad

ad ampliorem quæstum faciendum, ſeſe periculis obijcere non reformidant.

Apta fretis.] nauigijs. Plin. 10. 16.

in montibus editur altis.] Maro Eclogis.

Populus in fluuijs, Abies in montibus altis.

in aduerſis maxima commoditas.] γνώμη.

Picea.

EMBLEMA CCII.



A*T Picea emittat nullos quòd ſtirpe ſtolones,*
Illius eſt index, qui ſine prole perit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PICEA facilè poteſt eum ſignificare, qui ſine liberis deceditːaut referetur ad eum, qui nullum ſui monimentum reliquerit, cuius nempe vita ac mors iuxta æſtimatur,

matur, vt ait Sallustius.

stolones.] virgulta ex radicibus, aut trunco producta.

index.] symbolum.

Cotonea.

EMBLEMA CCIII.



POMA nouis tribui debere Cydonia nuptis
Dicitur antiquus constituisse Solon.
Grata ori & stomacho cùm sint, vt & halitus illis
Sit suauis, blandus manet & ore lepos.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

PLVTARCH. testis est in præceptis connubialibus, cotonea, quòd cor reficiant, suauemque ori halitum inspirent, olim Solonis lege nouis coniugibus dari solita, vt admonerentur, coniugi primo illo congressu omnia transigenda corde puro, ore, linguaq; adornata & pudica.

Hedera

Hedera.

EMBLEMA CCIIII.



HAVD QVAQVAM arescens Hedera est arbuscula, Cisso
Quæ puero Bacchum dona dedisse ferunt:
Errabunda, procax, auratis fulua corymbis,
Exterius viridis, cætera pallor habet.
Hinc aptis vates cingunt sua tempora sertis:
Pallescunt studijs, laus diuturna viret.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

HEDERA perpetuo viret, tenax est, eiq; parti molesta, cui hæret: corymbos aureos producit, extra viridis, in cæteris pallescens. Poetarum conditionem repræsentat, qui hærent studijs, sibique interdum nocent, quòd

ferè

ferè corporeis exercitationibus careant: famam tamen nominis nunquam morituram, quasi mercedem auream exspectant. Solantur enim spe, & studiorum molestias atq; difficultates sempiternę laudis opinione leuant.

Haud quaquam arescens.] perpetuò in virore manens.

Cisso quæ puero] Cissus, Liberi saltator & histrio, in quendam terrę hiatum lapsus perijt. Tellus florem produxit adolescenti cognominem. Sic. 1. Epigramm.

κίσσῳ μὲν Διόνυσος ἀγάλλεται. id est.

Bacchus amat Hederam. Inde κίσσος Διονύσιος dictus.

Exterius viridis.] Plin. 16. 34.

Hinc aptis vates.] Horat. 1. Carm.

Me doctarum Hederæ præmia frontium.

Idem, *Prima feres Hederæ victricis præmia, &c.*



Ilex

Ilex.

EMBLEMA CCV.



DVRITIE nimia quòd sese rumperet Ilex,
Symbola ciuilis seditionis habet.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ILEX eos refert, qui sunt tumultuosi, spectata nimirum arboris natura, cuius lignum cùm frangi nisi admodum difficulter possit, se tamen aliquando diffindit & fatiscit. Ita seditiosi non nisi à seipsis ferè auelluntur & franguntur. Sumpta similitudo ex 3. Rhetor. Aristot.

rumperet] rumpat. tempus pro tempore.

Malus Medica.

EMBLEMA CCVI.



A*VREA* *sunt Veneris poma hæc: iucundus amaror*
Indicat, est Græcis sic γλυκύπικρος amor.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.


CITRVS, & malus Medica fructum habet, cuius cortex aurei coloris, saporis austeri, intus verò dulcis succus: Ita se blandus amor, idemque amarus habet. Proinde pomum Veneri sacrum.

iucundus amaror.] bellè quidam è recentibus:
Non amor antiquis fuerat, sed amaror ab annis
Dicendus, cum sit semper amarus amor.

γλυκύπικρος] Plutarch. 5. Sympos. 7. Probl.

Buxus.

EMBLEMA CCVII.



PERPETVO viridis, crispóq; cacumine Buxus,
Vnde est disparibus fistula facta modis.
Delicijs apta est teneris & amantibus arbor:
Pallor inest illi, pallet & omnis amans:

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

BVXVS amasiorum naturam conditionemque refert. Habet enim perpetuum virorem, lignumque pallidum, quo tamen tibię & fistulę componuntur. Sic illi in amore perpetuò virent, sed tamen ex affectibus plerisque biliosis pallorem contrahunt, nihilominus sermone blando ac suaui oratione semper aliquid concinunt.

disparibus fistula.] Virgil. Eclog. 2.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula. ——

Delicijs teneris.] amoribus blandis.
Pallor inest.] Ouid. 2. Metamorph.
—— *Buxoq; simillimus ora*
Pallor obit. ——

Amygdalus.

EMBLEMA CCVIII.



CVR properans folijs pramittis Amygdale flores?
Odi pupillos precocis ingenij.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

AMYGDALVS citissimè floret, tardissimè fructum profert Plin. 16. cap. 25. Ita pręcocia illa ingenia, quę habent pręclaram quandam indolem, vix aut certè

tè ſerò admodum perueniunt ad frugem, ait Fabius lib. 1.cap.3.

pupillos.] pueros.

pracocis.] qua de voce Gell. 10.11.

Morus.

EMBLEMA CCIX.



SERIOR *at Morus nunquam niſi frigore lapſo*
Germinat; & ſapiens nomina falſa gerit.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

MORVS, quaſi μῶρος, id eſt, ſtultus, malè impoſito nomine, ſapiens arbor eſt: nunquam enim germinat niſi frigoribus exactis: Ita vir prudens maturè ſuis rebus proſpicit, neque ſe temerè periculis obijcit.

ſapiens nomina falſa.] Plin. 16. 25. Prouerb. Maturior moro.

Laurus.

EMBLEMA CCX.



PRAESCIA venturi Laurus fert ſigna ſalutis:
Subdita puluillo ſomnia vera facit.

Aliud.

DEBETVR Carlo ſuperatis laurea Pœnis:
Victrices ornent talia ſerta comas.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

LAVRVS in vaticinijs olim fuit adhibita: vnde ad ſymbolum rerum futurarum non malè poteſt accommodari, quemadmodum etiam ad ſalutem indicandam.

Carolo V. Imper. Thunis referenti victoriam laurea corona debetur, quam triumphantes antiquitùs geſtabant. Plin. 15. cap. vlt.

Præſcia venturi.] vt Claudian. 2. Raptus:

venturi

——venturi præscia Laurus Fluctuat.——

Subdita puluillo.] apposita ceruicali. proinde μαντικὸν φυτὸν dicitur.

Pœnis.] Thunensibus, qui eam regionem incolunt, in qua olim Carthago fuit.

Populus alba.

EMBLEMA CCXI.



HERCVLEOS *crines bicolor quòd Populus ornet,*
Temporis alternat noxq́ dies q́ vices.

EXPLICAT. CLAVD. MIN.

ALBAE Populi frondibus statuę Herculis ornabantur, ad significandum temporum continuum cur-

ſum, motumq́ue perpetuum in diem & noctem. Nam frondes eius arboris altera parte nigricantes, altera verò penè candidę. Herculem verò pro tempore vſurpatum notat Macrobius, vt etiam pro Sole, ſpectata vi nominis.

Herculeos crines.] Virgil. 8.

——Herculea bicolor cum Populus umbra.
Velauitque comas.

F I N I S.



EMBLEMATVM INDEX,

In locos communes ad studiosorum commoditatem digestorum.

Numerus ad Emblematis cuiusque refertur ordinem.

Pudi-

Men-

Mu-

Per-

F I N I S.

Superiorum Permissu.

E
pas rognez!

H. 2





